E. S.

4 B.

ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE, ET ANGLICANÆ ECCLESIÆ AB ILLA ABERRATIONIS, PLENA è verbo Dei, & dilucida explicatio.

P. Gualterum Traversum Anglum.
Collegii Dublinensis Praefectum

Præsentis vitæ commodari

EXCVDEBAT ADAMVS de Monte.

M. D. LXXIIII.

A Monsieur
Dantau
Angenou

PIO LECTORI GRATIAM, ET PACEM a Deo Patre & Domino nostro Iesu Christo.

NISI A MVLtis iam seculis, atque adeo ab ipsa fere mundi origine, humanæ naturæ peruicaciam plenè cognitam, & perspectam haberemus, vel vnum aliquem reperiri potuisse, qui tam suauem & salutarem Christi disciplinam (qualis cùm in ipsius sacro verbo proposita, tum præsenti hoc libello informata est) aut respueret, aut non etiam cupidissimè amplecteretur, omnium planè fidem & opinionem superaret. Quod cùm per se admirandum sit, tum verò maiorem admirationem mouet, si quàm sint homines ad ciuilem illam (quæ præsentis vitæ commoda continentur) quamuis asperam, & seuerioribus pœnis sanctam admittendam non difficiles, cognemus. Quod si ad præduram, & sæuam pontificiæ disciplinæ carnificinam oculos infle ctamus, in ea quanta

fuerit facilitas, & patientia paululum attendamus: id verò demum non admirationem, sed stuporem afferat necesse est. Cuius enim inscitiæ, vsque eo de vieta, & caduca hac vita laborare, vt nullam ne Lycurgeam quidem disciplinæ seueritatem, ad illam tuendam, non modo non admittas, sed sæpe etiam vltro appetas: ad vitam autem, quæ semper duratura est, aut comparãdam, aut conseruandam sic auersum esse, vt ne omnium quæ vnquam extiterunt moderatissimæ, & temperatissimæ tuas velis ceruices submittere? Atque vt humanæ cæcitati condonetur (cuius tamen olim certissimas pœnas dabit) quod momentaneæ, quàm perennis vitæ commoda & vehementius amet, & studiosius persequatur: cuius tandem amentiæ esse existimabitur, truculentam illam papistarum larienam, quæ & corpora, & animas miserè cruentauit, tam æquè nos, & placidè tulisse: istam vero vitiorum nostrorum saluberrimam, tam ægrè, aut ne omnino quidem ferre medicinam? Quas enim istic à Romano dracone, veluti sanguine sensimus, hîc à seruatore Christo, & ab Apostolis, tanquam lacte scriptas disciplinæ leges licet experiamur. Atque ista mundi siue inscitia dummodo hæc ignoret, siue superbia si comprehensum beneficium repudiet, siue quæ alia peruersitas, bonis pene omnibus timorem afferet

fert, ne iustus Deus, de paterna, & molli ipsius virga contempta iratus, ferrea arrepta, & iudiciaria, quod supereſt eccleſiarum (quod ſane perexiguum eſt) id omne perfringat, & in tenuiſſimas particulas, & minima quaſi fruſta comminuat. Quæ me res cùm de omnibus in vniuerſum eccleſiis, apud quas diſciplinæ Apoſtolicæ hoſpitium non eſt, ſolicitum habet: tum de te Anglia, cui & communi ciuis officio, & publico quo olim functus ſum miniſterio obſtrictus, me omnia ſumma & ſingularia ſtudia debere confiteor, dubium valde & anxium facit. Nihil hic dicam de inulta, & inexpiata innoxij ſanguinis regnante Maria effuſione, in eos præſertim qui & tum illius ſtragis duces erant, & quibus nunc ad conſimile facinus cùm animi ſitiunt, tũ pruriunt manus tantum admoneo ex profluentibus vndique & exundantibus eius riuulis, vel vnam guttulam amplißimo regno fatalem eſſe poſſe. Vt igitur hæc, & alia, quæ huius loci non ſunt omittam: illæ vitiorum cohortes quæ partim ex Apoſtolicæ diſciplinæ abſentia, partim ex eius æmulæ præſentia (ea nobis fere ex papatu ſuperfuit) exierunt, quatuordecim annorum obſidione Eccleſiam noſtram labefactarunt, & euertent breui, niſi aduerſus illas vitiorum machinas, & arietes, Apoſtolicæ diſciplinæ aggerem, & murum vere ahe-

neum maturè opponamus. Atque vtinam tibi in iis modum (si in peccando modus esse posſit) ſtatuiſſes, nec oblatam diſciplinam repellendo, Dei in te excandeſcentiam grauius concitaſſes. Superiora enim illa quantũuis atrocia, quia ab ignoratione profecta videri poſſent, veniæ fuerũt propior: nũc cùm in noſtram ſe notitiam inſinuauerit, contumelius affecta, & vim paſſa, valde nobis metuendum eſt, ne in cæleſtis patris (ex quo oriunda eſt) ſinum effuſis, & depoſitis querelis, in nos illum furorem accenderit, quo tota Anglia, ni ocyus reſcipiſcat, non ita multo poſt conflagrabit. Hæc me cogitantem ſæpe conſternãt, & ſalutis Anglicanæ cùm ſpem, tum ſpei argumenta auidè captanti ſpem fere omnem omnino veluti expectorãt. Eoq; id faciunt magis, quo multos hos annos, non ſolum immẽſa Dei patiẽtia, & lõganimitas noſtra cũ duritate, & irrequieto peccandi auiditate conflictata eſt, clarõſtinos hoſtes fudit, cõſilia, coitiones diſſipauit, inſidias cũ domi, tum foris poſitas irritas feci: rerumetiã quod nouis ſubinde nos Deus beneficiis cumulauit, aut certè cumulare paratus erat, ſi tã nos ad excipiendũ, quam ille ad dãdũ, prompti fuiſſemus, nec oblatas vel potius in os delatas opportunitates, è manibus elabi ſiuiſſemus. In iſtis tot, tantis, & tã inueteratis, & pertinacibus quaſi morbis, tametſi & recupe-

recuperandæ ſanitatis deſperatione, & amittẽdæ quæ eſt metu pene oppreſſus ſim: nõ deſino tamen animũ iacentẽ ſubinde excitare, & ad ſpem melioris rerũ conditionis ſubuehere Cuius cõſolationis poſtquam in Dei interminata miſericordia fundamenta iecerim, illã ſignis quibuſdã, ad eã rem obſeruatis, faueo tueorq; Superiorũ namq; ẽporum memoriã repetens, cũ illã Dei miſericordiã affulſiſſe videã, quæ nobis nõ ſolũ de ea nihil cogitantibus ſed ſummo pene omniũ conſenſu reclamantibus ſaluifica Euangelij doctrina illuxit: nunc in maximæ partis Euangelicorũ, cũ ſummorũ, tum infimorũ erga diſciplinã propenſione, vel affectu potius, ſi aliquãdo illi apud nos locũ fore in animũ induco meũ, illud non temere feciſſe videri debeo. Quod vero ſereniſſima Princeps, & ex ampliſſimis regni ſenatoribus aliqui penes quos ſumma rerũ noſtrarũ eſt, diſciplinæ hactenus parũ propitij fuerint, id etiãſi Eccleſiæ ſanctis iugulũ petere videatur, tamen quia partim epiſcoporũ quorundã, partim epiſcopatuũ cãdi alterũ (qui ſe rigẽte & floreute eccleſia ſtare nõ poſſe animaduertũ) cũ lan ularibus inſuſurrationibus, tum apertis criminationibus, accidiſſe omnes intelligunt, de principis & ſenatorum voluntate, & in hanc cauſam propenſione nõ deſperamus. Speramus enim fore, vt cũ calumniarum, ſcilicet prodigiis,

rebellionis, Rerumpublicarum & Ecclesiarum euersionis, confusionis, anabaptismi, Donatismi (quæ omnia disciplinæ, & disciplinæ studiosis imponunt) vanitas, & falsitas apparuerit: fore (inquam) speramus, vt quos hactenus animo ab hac causa aliquantulum sensimus obalienato, eos vt deinceps amico & beneuolo experiamur. Sic enim causæ bonitati confidimus, vt à tam ingenicsa principe, & sapientibus consiliariis, nisi inaudita tam, condemnari vix fieri posse credamus. Cùm autem serenissima princeps, pro ea qua est doctrina eximia, & (vt in fœmineis) plane singulari, Latinè scriptis plurimum oblectetur: in magnã spem venimus, causam hanc, quam hactenus iniquorum nostrorum ex falsis rumoribus tanquam lacunis carptim delibauerit, ex nostris ipsorum libris, veluti ex fontibus plenius esse hauriendam. Quod vt faciat, per Christi regis augustissimi (cuius hoc totum negotium est) sanctissimum nomen, ad pedes maiestatis suæ prouoluti, humillimè, & supplicissimè obsecramus. Atque hoc loco aliud mihi signum, ad animum in diuina misericordia confirmandum notatur, quod de egregio clementissimus pater operario prosperexerit, cuius omnis generis & artium, & linguarum thesauris, pectus compleuit. Quando autem nobis, ad tabernaculi vasa, & ferramenta fabricanda Bezaleel

lielem formauerit, nondum videtur, de Eccleſiæ noſtræ ruinis inſtaurandis cogitationem abieciſſe. Etenim in cauſa (propter & pugnantes multorum ſententias, & libros de illa rariſſime ſcriptos) difficillima ita verſatus eſt, vt ne in omnium quidem cum iudiciis comprobata, tum multorum ſcriptis trita, & peruulgata, vix aut accuratius, aut magis perſpicue tradi quid poſſe videatur. Nec enim ſolum diſciplina bonis verbis, & præclaris ſententiis, veluti preciosis veſtimentis induta, ſed eiſdem methodo veluti decorè plicatis, & venuſtè rectis in medium procedit. Atque cum ipſum diſciplinæ argumentum per ſe amabile ſit, Rhetorica, Dialectica, linguarũ varietate, ſermonis puritate, iuris prudentia, tanquam emblematis exornatum, quantos in animis amores debet accendere? Fructus autem iſte ſi ad legendum, & ſpectandum delectationem contineat, ad guſtandum quanto erit iucundior, & amœnior? Quod ſi quis iudicio præcipitatum, hoc dicat me ſentire, non recuſo, quin quantum huic libello, vel iudicij, vel doctrinæ deeſſe videatur, tantum de mea (ſi qua forte ſit) exiſtimatione detrahatur. Diſciplina igitur ſecundam iam repulſam paſſa, venit ad nos tertio, eadem quæ ante, ſed maiore comitatu, & ornatu (qui ãmpliſsimi regis filiã nobiliſsimã decet) Phrygionico. Niſi igitur ſeueritatem iræ & furoris

diuini experiri velimus, venienti obuiam occurramus, regni portas, & portus omnes reseremus, in illius ruamus amplexus amantißimos, ſuauium amoris & reuerentiæ prebeamus, denique omnibus & officiis & obſequiis & excipiamus libenter, & conſtanter retineamus Quod enim principibus ſub uiliori habitu ſe occultantibus aliquando euenit, ut à ſuis ſubditis minimè recogniti, non tam excandeſcant, regio autem ſplendore, & apparatu ſe oſtentantes, niſi agnoſcantur, grauißimè ſuccenſent: id profecto in hac principe ſentiemus. Si enim hactenus, ſeu communioribus indumentis, ſeu facie peplo uelata, ſui dignoſcendi pleniorem copiam non faciens, ob ſpretam formam iram animo preſſerit: tantũ tamen ſplendorem, qui uel in cæcorum oculos incurrat, contemni, aut repudiari nunquam certè feret. Atque ſi qui precioſum donum teſtaceo uaſe porrectum faſtidiunt, ſuæ temeritatis meritas pœnas dent: qui uaſe illud Corinthiaco uel Deliaco exhibitum aſpernentur, grauißimum amentiæ ſupplicium nunquam profectò effugient. Accedit etiam, quod libelli author, nullo cum antagoniſta commiſſus, & in ipſam cauſam duntaxat intentus, nullius in perſonam feratur. Qua in re, cum quoſdam noſtros offenſiores acceperim, qui mihi ad hominem inportuniſſimum modeſtè reſpondenti, & aſſe-

ruuis

rimis conuitiis confodientem leuiter repungenti, succenserũt: sane ut eorũ in me offensione doleo, sic illis gratulor, quod in hac tractatione ab omni personarum contentione seuocata, nihil sint, quod animos paulo delicatiores offendat, habituri. Hoc igitur cum istis, tum aliis nominibus insigne κειμήλιον apud me depositum, vt in publicum expromerem, operam dedi, persuasus tantum thesaurum non potuisse me, sine graui sacrilegij scelere silentio, tanquam in sepulchro defodere. Quod quidem ea fide feci, vt etiam si illum vnius & item alterius loci interpretatione, à me dissentientem animaduerterem, illa tamen immutata, & Ecclesiæ iudicio integra reseruarim. Superest Anglia, vt cui omnis hæc opera imprimis nauatur, animum omni affectu liberum, nullo vel consuetudinis errore præpeditum, vel inani episcoporum strepitu, & pompa perculsum, vel quocunque demum præiudicio, vel partium studio præcipitatũ, ad legendũ afferas, in rem ipsam vnicè incumbas, singula argumentorum momenta, non ad hominum, vel maximorum fallacem trutinam, sed ad diuini verbi authoritatem, tanquam ad aurificis staterã exigas, cognitã ueritatẽ agnoscas, animo asserues, in usum (quoad cuiusque uocatio feret) tanquam in rem præsentem ad-

ducas

ducas. Deum autem Patrem Domini nostri Iesu Christi humillime rogo, ut ex sapientiæ, & fortitudinis suæ thesauris, tibi tum ad uidendum oculos aperiens, tum ad exequendum manus corroborans, quod est in te inchoatum bonum, perfectum & perpetuum esse uelit.

Quarto Nonas Februarij anno salutis humanæ 1574.

GVBERNANDI ratio ad omnẽ humanã ſocietatem vel euertendam vel cõſeruandam maximam omnino vim in vtrãque partẽ habet. Neque enim vlla tam parua Reſpublica eſt, ac ne domus quidem vlla, quæ ſine certo quodam adminiſtrandi modo atque diſciplina conſeruetur. Regna verò illa atque Reſpublicæ & floruerunt ſemper maxime, & permanſerunt diutiſsimè, quæ & primò optimè inſtitutæ ſunt, & eadem ſemper inſtituta ſine vlla commutatione tenuerunt. Contrà autem, regendi atque gubernandi malè inſtitutam rationẽ, aut bene inſtitutæ commutationem atque neglectum, maximorum ſæpe populorum & florentiſsimarum ciuitatum interitus conſecuti ſunt. Politiæ enim inſtitutio & optimarum legum diſciplina idem eſt in ciuitate, aut alia ſocietate quacunque, quod in naui gubernaculum, intendendi remittendique præce-

pta in harmonia, ordo in exercitu, anima in corpore. Vnde Athenæ tantopere ab omnibus celebratæ, quum hoc gubernaculum amplius regere & tenere non possent, tanquam ἀπήνλα πλοῖα quibusuis fluctibus & tempestatibus iactatæ perierunt. Hinc etiam vetus illa Lacedæmon quum Lycurgæos modos numerosque remitteret, tanquam harmonia quædam dissoluta est. Hinc Romanorum exercitus potius quam Respublica, ordine atque disciplina militari, qua semper fortiores quàm viribus fuerunt, relaxato, pristinam quoque gloriam & dignitatem perdiderunt. Denique hinc tot oppidorum hodie vbique iacent proiecta cadauera, quòd regendi forma paulatim immutata, tandem vniuersam politiam, tanquam animã, amiserint. Atque vt hæc multis Rebuspublicis, & alijs societatibus accidisse testantur, quæ Græci Romanique scriptores monimentis prodiderunt: ita in sacris Historijs, Ecclesiam, quæ Deum rite colentium societas quædam est atque conuentus, nõ minore mercede traditam ab optimo & sapientissimo Deo

disci-

disciplinam neglexisse legimus. Ac tanto quidem maiore, quòd præter ea incommoda quæ alijs ex bonarum legum commutatione solent accidere, Deum legislatorẽ semper experta est sibi spretæ disciplinæ suæ vltorem atque vindicem imminere. Atque vt Iudaicæ Ecclesiæ ruinas prætermittam, qui Christianæ Ecclesiæ Historiam diligenter & attentè legerit, animaduertet superiorum temporum calamitatem, quibus Ecclesia tanquam mortua per multos annos & prostrata iacuit, non aliunde profectam quàm à neglectis salubertimis atque sanctissimis institutis, quib. à Christo Domino & Seruatore nostro, ad omnem æternitatem fundabatur.

Quæ quum ita sint, mirum videri debet, quum misericors Deus incredibili quadam bonitate sua & singulari miraculo, Ecclesiã tanquam ex sepulcro patrum nostrorũ memoria, Euangelij sui voce excitauit, tam paucos de hac vita tuenda & conseruanda cogitare, & doctrina Euangelica tanquam bona valetudine contentos, de disciplina qua eadem tueantur, ac vires simul & colorem

acquirant, nõ esse solicitos. Verendúmque omnino est, ne si tantum & tam necessarium adiumentum aspernari perrexerint, in superiorum temporum calamitatem recidant, & posteriora præteritis deteriora, atque calamitatis & miseriarum pleniora existant. Anglicanæ verò Ecclesiæ nostræ vehementius metuo, quæ tot annos, quot iam Euangelium amplexa est, non modò nihil de legitima disciplina instituenda cogitat: sed ea fere sola vtitur, quam à Papistis accepit, neque sibi eam quam Christus & Apostoli tradiderunt, persuaderi patitur. Cuius quidem adhuc ea ratio fuit, vt quum ferè ad Henrici octaui regnũ, exanimis & mortua quodammodo iacuisset, tum demũ summa Dei voluntate erga nos, illustres quidam viri, & tanquam Eliæ ac Elisæi quidã exorti sunt: qui cũ vehementissimè precando, tum eam diligentissimè omni ratione fouendo, effecerunt vt tandem quasi incalescere cœperit, & sternutare, ac certis sanæ doctrinæ partibus, tanquam signa quædam reuiuiscentis Ecclesiæ ostendere. Quę quũ sub Eduardo Henrici filio, optimæ

mæ ſpei, ſumæ pietatis & virtutis principe, planè reuixiſſet, & nō vitæ tantùm ſed & valetudini reſtituta eſſet: medicis contenta, qui ſalutem procuraſſent, aliptas ad colorem & vires acquirendas non adhibuit. Quanquam enim multi ad abolendam illam Papiſticam tyrannidē, quę tum adhuc in Eccleſiæ regimine remanſiſſet, & iuſtā atque legitimam gubernandi rationem ex Dei verbo conſtituendam hortarentur, in primis autem vir clariſsimus Martinus Bucerus, (qui tum fortè in Anglia peregrinabatur) eo libro quem De regno Chriſti cō ſcripſit: tamen ab ea regendi forma cui ſub Papatu aſſuecuerat, abduci non potuit, & doctrinam Euangelij ab eiuſdē diſciplina (res cùm ſua natura tum Dei mandato coniunctiſsimas) ſeparauit. Verum quum valetudo ſine exercitatione iuſta & moderata retineri conſeruaríque non poſsit, non ita multò poſt Marianis illis crudeliſsimis temporib. in grauiſsimum æſtum recidit: quo ita afflictabatur, vt de ſumma ſalute non ſolùm periclitaretur, ſed pene deſperaret. Atque actum quidem iam tum de

Ecclesia nostra planè fuisset, vt quæ tota fere in cineres redacta fuerit, nisi eam rursus sol ille cœlestis Iesus Christus ex intermortuis reliquijs & ipsis cineribus, Phœnicis cuiusdam instar, excitasset, & serenissima regina Elisabetha, tāquam mater in Israële exorta fuisset, quæ iterum extinctam Ecclesiam parturiret. Sed παλιγγενεσία ista nihilo adhuc felicior in disciplina restituenda fuit, quàm superiora tempora extiterunt.

Itaque putaui ad officium meū pertinere vel potius pietatem, erga eam Ecclesiam in qua natus & educatus sum & quam iustissimis de causis singulari charitate complector, ἐστὶ συζῆν (vt loquitur Apostolus) καὶ συναποθανεῖν, rogare eam & obtestari vt de tanto suo bono quo ad æternitatem stabiliatur, seriò & solicitè cogitet, vehemētius etiam hortari & monere, vt reliquā adhuc in Ecclesiæ regimine Papatus tyrannidem aboleat, sanctissimam, & ab ipso seruatore Christo traditam Ecclesiæ suæ regendæ atque moderandæ politiam instauret, & spretæ disciplinæ demum vltorem atque vindicem pertimescat. Ver-

2 Cor. 2. 7. 3.

rùm

rùm quum multi sint qui quòd in carne malint (vt Pauli verbis vtar) κατ' ὄψιν, quàm in Euangelij simplicitate acquiescere, speciosam hanc Papistarum hierarchiam & adulterinā Ecclesiæ moderandæ rationem retinendam esse contendunt, & eam quum suademus multis nominibus criminantur: plenius à nobis omnis hæc causa disceptabitur: vt quam reprehēsionis & petitionis nostræ æquitatem intellexerint, vnà nobiscum preces suas studiaque coniungant: vt tandem Papistica tyrannide plenè abrogata, melior atque sanctior ex dei verbo Ecclesiæ suæ moderādæ ratio instauretur. Latinis autem literis potissimum hæc mandanda esse existimaui, vt tota Dei Ecclesia iudicare possit, an temere vt iniqui nostri nos apud Ecclesias Dei in externis regionib. criminantur, aut leuissimis de rebus magnos motus excitemus, an verò iustissimis & grauissimis de causis ad nouam & puriorem disciplinam expetendam & requirendam adducamur. Quod quū exterarum quoq3 gentium Ecclesiæ intellexerint, spero equidem puriores hanc causam,

tanquam ſuam atque propriam exiſtimantes, eam cùm Deo tum hominibus (ijs quorum maximè intereſt tantis de rebus admoneri) omnibus votis atque ſtudijs commendaturas, & reliquos etiam, ſiquid ante de nobis ſecus ſenſerint, & certorum fraude deceptæ aſperius in nos cùm literis ad iniquos noſtros miſsis tum libris publicè editis inuectæ ſunt, æquitate cauſæ noſtræ intellecta erroré correcturas, & alias noui generis fæciales literas, ad res potius componendas quàm exulcerandas ſcripturas eſſe. In qua cauſa tractanda ita verſabor, vt primò iuſta Eccleſiæ politia deſcripta, ſicut eam Chriſtus ipſe & Apoſtoli eius tradiderunt, noſtra ſimul in ſingulis partibus errata adnotem & animaduertam, vt ex illa collatione veritas ipſa clarius eluceſcat atque illuſtretur. Primum ergo quum negotiũ nobis non ſit cum ijs qui omnem Eccleſiæ diſciplinam reijciunt, vt id magis cõſtet de quo diſputetur, legitimam Eccleſiæ diſciplinam finiamus.

Eccleſiaſticam igitur diſciplinam, Chriſtianæ Eccleſiæ politiam eſſe dicimus,

mus, à Deo illius rectè administrandæ gubernandæque causa institutam. Quòd autem Deum disciplinæ autorem esse dicimus, & eam propter eandem causam ex sacris Scripturarum fontib. hauriendam esse, id propter nonnullorum cõtradictiones, qui nihil hac de re præceptum esse, sed omnia vel magistratibus vel Ecclesiarũ iudicijs permissa contendunt, pleniore disputatione eget. Primum autem quum in vetere Ecclesia Iudæorum omnia quæ ad regendum non tantùm ciuilem sed etiam Ecclesiasticum statum (quanquam enim Deus apud eos vtriusque autor extiterit, tamen à se inuicem distingui voluit atque separari) ita diligenter descripta sunt, & à Deo præcepta, à Mose literis commendata, vt disertè vetitum sit nequid ad ea quæ tradita essent adiungeretur, nec ab ijsdem detraheretur: dicant tandem quare Christianæ Ecclesiæ negent Deum tam solicitè prospexisse, liberaq; omnia nobis reliquisse affirment, vt Ecclesiam suam nostro arbitratu moderemur. Nam illam tam accuratam vniuersæ disciplinæ descriptionem non à Mo-

se, sed ab ipso Deo autore profectã manifestè apparet, quum Moses sepissimè testetur Ecclesiasticorum munerũ creationem, ordinationem, munera atque potestatem à Deo prescriptam esse, qui etiam instituta sua cõtra eorundem violatores varijs atque grauissimis iudicijs vindicarit.

Numerorum nono insignis Historia est de quibusdam immundis, qui quum se cadaueris contactu polluissent, nec putarent in ea immundicie quam morientibus in dies aliquibus (vt in tanta multitudine fieri solet) sæpius contrahi necesse esset, satis grauem causam subesse cur non Pascha DOMINI vnà cum reliquo Israële celebrarent, adeunt Mosen & Aaronem, atque deprecantur ne ab illa solenni Ecclesiæ communione seiungantur. Moses autem hic quid sibi assumat, quid agat videamus. Nihil respondet, causam omnem ad Deum refert: cuius responso in sequentem mensem reijciuntur, & vetantur festum Paschatis cum reliquo Israële celebrare. Ex qua causa (quæ propria est huius disciplinæ quam tractamus) ad

Deum

Deum relata, perſpicuè intelligitur ipſum Moſen in vniuerſa Eccleſiæ gubernatione nihil priuata quadam autoritate ſua ſtatuiſſe, tantúmque ea quæ Deus mandarat atque præceperat tradidiſſe. Quod ſatis clarè etiam Moſes ipſe teſtatur, quum illud, Sicut Deus præceperat, ſubinde repetat. Atque hæc eſt illa fides quam in eo Apoſtolus ad Hebræos commendat, quòd domum Dei non pro ſua voluntate, ſed ex autoritate Domini atque patrisfamilias gubernauit. In tabernaculi autem ſtructura quã præciſè mandatur, vt omnia ad eam formã quam dominus in monte oſtendiſſet componantur? Neq; verò vnquam (quandiu res ſaluæ & incolumes fuerunt) vlli vel Principes vel ſacerdotes ſibi arrogarunt, vt de ijs rebus conſtituerent quæ ad Eccleſiam pertinerent, ſed omnia pro Dei voluntate atque autoritate regebantur. Nam quòd in templi figura atque ædificio, & Leuitarum cantorumq; deſcriptione, quædam pauló aliter quàm à Moſe præcepta eſſent, à Salomone inſtituta ſunt, ea commutatio atq; noua deſcriptio, non

Hebr. 8.

Exo. 25. 40.

ex Salomonis autoritate facta est, sed Dei ipsius, eam per Prophetas suos prascribentis atq; mandantis: sicut aperte in Chronicis recensetur. Itaq; & forma templi ab Ezech. tam diligenter & accuratè describitur: quòd eam nimirum, vt à Deo profectam, noui templi structuram componi oporteret. Et Ezra atque Nehemias reformationem suam ad illam Mosis, Dauidis, Salomonis & Ezechielis exegerunt. Quum ergo hæc tam constans atque perpetua ratio in Ecclesia gubernanda semper ad Christum vsque viguerit, vt eius regendæ leges atq; instituta ab ipso Deo traderentur, impiumque atque nefarium habitum sit, si quid homines his in rebus auderent, & Dei grauem vltionem atque vindictam non effugerint: quare nunc tandem hac cura Deum liberant, aut Ecclesiam potius suo patrono orbant, cuius administratione conseruetur, & quo gubernatore ad clauũ in puppi sedente nullas tempestates aut procellas pertimescere, sed tuta semper in omni periculo, & salua esse consueuerit?

2. Chron. 14.8.

Illud autem quàm absurdum est, tum

potis-

potiſsimum Dei erga Eccleſiam ſuam amorem atque ſolicitudinem diminutam eſſe exiſtimare, quum eam pleniſsimè & certiſsimè miſſo vnigenito filio ſuo comprobarit: qui non tantùm peccata noſtra expiaret, ſed & Prophetico munere in vniuerſa Dei erga nos voluntate declaranda fungeretur,& Eccleſiam autoritate ſua regeret atque gubernaret?Hic enim eſtPropheta ille ſimilis Moſi, qui plenè & pfectè omnia à Deo quæ noſtri officij eſſent ediceret, quem audire & cui parere teneamur: vt illam promiſsionem Spiritus ſanctus per os Petri interpretatus eſt, & diuinam vocem illam, quæ de cœlo teſtata eſt eum chariſsimum atque vnigenitum Dei filium eſſe, præcepítque vt ipſum audiamus. Quomodo autē Moſi ſimilem fuiſſe dicemus,ſi tam neceſſariā doctrinam de Eccleſiæ gubernandæ ratione,in qua Moſes tam diligenter verſatus eſt, aut omnino prætermiſerit, aut non æquè perſpicuè atque perfectè,omnia quæ opus eſſet explicarit? Ergo ſi Chriſtum Prophetam illū eſſe agnoſcimus, ſtatuendum eſt,plenè & perfectè omnia quibus

bus opus esset etiam ad Ecclesiæ regimen atque disciplinam, ab eo declarata esse: ne illum aliqua parte Prophetici muneris spoliemus, aut seruum (quantumuis fidelem) vnigenito filio, & tanquam Eliezerum Isaaco in paterna domo præferamus. Quod certe faciunt ij qui nihil ab eo putant hac in parte prætermissum, nihil ab hærede institutum, à Mose perfecta omnia, à Christo ne inchoata quidem, aut ad exitum non perducta. Quod autem de tam perfecta à Christo tradita disciplina affirmamus, id de disciplina totius Ecclesiæ communi atq; perpetua & necessaria, sine qua sancta hæc societas & Christiana Respublica sub rege suo contineri non possit, intelligatur. Illam enim aut à Christo traditam fateri necesse est, aut eum non solùm Prophetico sed etiam regio munere spoliare. Quid enim est quod tam ad regium nomen officiumque pertineat, quàm ciuibus suis leges dare, & ea iura describere, quibus possint omnes Reipublicæ suæ partes contineri?

Papistæ quidem contrà disserunt, & Pon-

Pontifici ſuo licere contendunt, Eccleſiam Dei arbitratu ſuo regere. Nos autem qui hanc blaſphemiam & ſacrilegam vocem deteſtamur, & Chriſtū vnicum Eccleſiæ regē eſſe ex Dei verbo agnoſcimus & profitemur, quomodo dicemus, aut tātam & tam neceſſariā regij muneris partem ab illo neglectam eſſe, aut nobis permiſſam, vt qualem placeret fingeremus? Quòd ſi nonnulli ſunt, quorū oratio tam vehementer à ſeipſa diſſentiat, vt Chriſtum & Eccleſiæ regem atq; legislatorem eſſe concedant, negent tamen vllas de regendo populo ſuo leges condidiſſe, aut pauciores quàm neceſſe eſſet, videant non ſolùm quàm parum à Papiſtis hac in parte diſſentiāt, ſed & quàm hæc illorum oratio non ſit in ipſum Chriſtū honorifica. Niſi enim Reipub. ſuæ ſtatum omnem conſtituerit, magiſtratus ordinarit, ſingulorum munera poteſtatemq; deſcripſerit, quæ iudiciorum forique ratio habēda ſit, quomodo ciuium ſuorum lites finiendæ: nō ſolùm minus Eccleſię Chriſtianę prouidit, quàm Moſes olim Iudaicę, ſed quā à Lycurgo, Solone, Numa & cæte-

cæteris exterarum gentium legislatoribus, Rebuſpub. & ciuitatibus ſuis proſpectum ſit. Quid hîc fiet regno illo à Prophetis tam magnificè celebrato, vbi ſceptrum illud æquitatis, vbi currus & quadriga illa, qua per mediam Eccleſiam vectus à Dauide deſcribitur? Quæ vt propriè de futuro in cœlis Chriſti regno prædicantur, non ita tamen eò referenda ſunt, vt non etiam hæc illius initia complectantur atque contineant. Quum enim regnum hoc ab illo non genere ſed ratione tantùm differat, & quæ olim pleniſsimè cõplenda ſint, hic fere inchoentur, proportio quædam hic conſideranda eſt: & omnia illa de hoc etiam regno pro ſuo modo atque ratione exponenda. Ita vt quum de illo prædicatur omnia tam perfecto regimine adminiſtranda, ciues omnes morigeros, plenos ſcientiæ cuiuſdam cœleſtis & diuinæ cognitionis futuros, nullum in toto regno fore Cananæum, gentes extra ciuitatem Dei excludendas, & cætera quæ Prophetæ grauiſsimè & ornatiſsimè perſecuti ſunt: intelligamus etiam hæc certa quadam ratione ad huius regni

gni ſtatum referenda,& huius etiam regni adminiſtrationem iuſtam eſſe oportere, ciues non ignaros, ſed quàm fieri poſsit ſcientes & peritos rerum maximarum,inquinatæ vitæ homines,& flagitijs atque ſceleribus coopertos tanquã gentes & Cananeæos eijciendos & profligandos eſſe, & Dei templum atq; Eccleſiam quàm fieri maximè poſsit in regram ab omni pollutione & profanatione conſeruandam.

Præterea verò & tota hiſtoria Euangelica,& Apoſtolorum ſcriptis arguuntur: ex quib.apparet illum omnia pleniſsimè quæ neceſſe eſſet, de regno ſuo moderando atq; adminiſtrando tradidiſſe.Quàm ſæpe enim apud ſuos de hoc imperio diſſeruit, & hoc regnum quale eſſet declarauit? huius mundi res nimirum atque negotia non tractare, ea regere quæ ad mentem & conſcientiam pertinerent: quales autoritate ſua Eccleſiæ præeſſe vellet,nempe non magnates aliquos aut tetrarchas,ſed Euangelij miniſtros: quàm accuratè Eccleſiaſticorum iudiciorum, & controuerſiarum finiendarum rationem conſtituit? vt ni-

hil posſit ad iuſtũ imperiũ & legitimam politiam deſiderari. Quin & paulo ante quam à ſuis diſcederet, quam grauiter illis & ſolicitè omnem hanc curã commendauit? quanta autoritate inſtruxit cœli vel aperiendi vel occludẽdi? & (quæ illius ſumma de hoc regno administrando cura & ſolicitudo fuit) tum ferè quum triumphalem illum currũ conſcenderet, quo poſt in ſummum cœli capitoliũ euectus eſt, vt patri aſsidẽs, perpetuo regno frueretur: quàm multa & quã anxiè per totos quadraginta dies, de hoc regno diſputauit? Hęc ſunt enim illa πραγγέλματα καὶ ἐντάλματα, quib. Lucas & Matthæus narrant eum Apoſtolos & legatos ſuos de huius imperij administratione inſtruxiſſe, & de quib. ſanctè & religioſè obſeruandis pręcepit, vt eiues ſuos admonerent. Poſtquam autẽ in regio ſolio cõſediſſet, annon videtur omnia quæ non ſolùm ad Eccleſiam primò conſtituendam attinerẽt per Apoſtolos & Prophetas, ſed etiam ad infinitum tempus conſeruandam, per Paſtores & Doctores prouidiſſe?

Act. 1. 2. 3. 4. Matth. 28. 20.

Sed ne longior ſim quàm in tam clara re

re necesse sit, vnde factũ est vt omnium Apostolicarum Ecclesiarũ vna disciplina esset, eadémque descriptio, nisi formam ab ipso Christo acceperint, quam variare mutareq; fas esse nõ putauerũt? Paul. quum hanc partẽ non magis quã reliquum Euangelium ab Apostolis accepisset (vt qui multos postea annos illos primũ adierit, quã pulcherrimas Ecclesias constituisset) vnde acceperat totam illã Ecclesiæ constituendæ disciplinam, nisi de ea, vt de reliquo Euangelio, per reuelationẽ Christi edoctus sit? Sed vniuersum hunc locum de disciplina à Deo profecta, & Prophetica immobili atq; perpetua, & omniũ Ecclesiarũ communi, grauissima illa Pauli ad Timoth. de ead. conseruanda obtestatione concludamus. Qui quum discipulum suum, omnẽ domus Dei, quæ est Ecclesia, ad- 1. Tim. 6. 13.
ministrandæ rationem docuisset, Denuncio (inquit) tibi in cõspectu Dei illius qui viuificat omnia, & Iesu Christi, qui præclaram illam confessionẽ Pontio Pilato professus est, vt hæc mãdata sine labe & sine reprehensione custodias vsq; ad apparitionẽ Domini nostri Iesu Christi

& cætera, quæ grauissimis verbis Apostolus persecutus est. Vnde primò colligimus, disciplinę quam ea Epistola Paulus tradidisset, Deũ omnipotentem autorem esse, & seruatorem nostrũ Iesum Christum, vt qui eiusdem violatæ vltores atque vindices significantur. Tum constantem esse atq; immutabilem, quę nulla hominum neq; gratia variari, neque autoritate frangi debeat, quum nõ solùm ἐντολὴ καὶ παραγγελία appelletur, sed iubeatur etiam κανὼν τις διατήρητος cõseruari. Postremò non certi alicuius temporis præceptum esse, sed perpetuum, & quod ad omnia Ecclesiæ tẽpora pertineat: quum tam disertè præceptum sit, vt vsque in aduentum Domini nostri Iesu Christi conseruetur. At verò nõ ita multò post quantis corruptelis sanctissimum mandatũ depraua tum fuit? quot maculis, quibus sordibus corrumpebatur? Tandem enim Satan πολυμήχανος ille perdendæ Ecclesiæ artifex, obliuione grauissimæ istius Paulinæ contestationis inducta, illas nõ tantùm ἐπιτολὰς, sed etiam ἐκκλησίας, auaritiam atque ambitionem, ad oppugnandam Ecclesiam at

tulit

tulit: quibus admotis, fortissima hæc eiusdē conseruandæ propugnacula conciderunt.

Quid verò tanti patroni atq; vltores? quàm acerbè hanc non tantum negligentium hominum oscitantiam, sed improborum scelus atque perfidiam vindicarunt? Historiæ his de rebus conscriptæ testantur, quomodo paulatim cum disciplinæ corruptione, ipsa quoq; doctrina deprauata sit, donec tandem (vtraque extincta) ipsa quoque Ecclesia aboleretur. Nesciunt enim, ac planè quidem nesciunt, qui doctrina Euangelij contenti disciplinam negligunt, istarum tanquam geminarum sororum, aut fratrum eorum quorum meminit Hippocrates, eam indolem atque naturam esse, vt simul ęgrotare incipiant, & vtriusque morb. eodem tempore ingrauescere: vt propter summam coniunctionem & tam germanam naturam, alter ab alterius inualetudine atque infirmitate afficiatur, & valetudine conualescat Quamobrem, quum Deus infinita quadam bonitate sua Ecclesiam hisce temporibus recollegit, & ex geminis

ſororibus doctrina tanquam maior natu conualuerit : ne impediamus quin (quemadmodũ eius natura fert, niſi impediatur) diſciplinam quoq; ſua ſalute afficiat: vt quæ ſimul laborare cœperit, eodem etiã tempore releuetur, & præteritarum calamitatũ memoria ad puriorem Eccleſiæ politiam inſtaurandã excitemur; niſi Deũ vltorem, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ ſpretæ diſciplinæ ſuæ vindicem ceruicib. noſtris imminentẽ negligamus, ac tandem magna mercede cognoſcamus, quàm illa Deo grata ſit & eccleſię neceſſaria. Quã quam qd dico ne tandẽ cognoſcamus, qui non multis ab hinc annis fuga ciuium & fratrum noſtrorum tot buſtis atq; funeribus, & horrenda Eccleſiæ noſtræ vaſtatione edocti fuimus, quàm illa ſuperiorum non ſatis ſincera Eccleſiæ reformatio Deo noſtro diſpliceret?

Sed vt eò vnde egreſſa eſt, ſe referat oratio, ex his quæ dixi, ſatis patere arbitror quod initio propoſui, diſciplinæ regulã atq; formam non ab hominũ inſtitutis atq; commentis petendam eſſe, ſed ex ſolo Dei verbo hauriendã. Quod

vt

vt illis Ecclesijs in quib. omnia ad Dei verbum reformata sunt, puritatis & sinceritatis diuturnus custos extitit : ita omnes ferè corruptelæ, quibus hodie Ecclesia nostra laborat, non aliunde manarunt, quàm quòd relictis purissimis sacræ Scripturæ fontibus, Papistarum cõmenta voluerimus tanquam putidissimas sententias consectari. Video enim architectos Ecclesiæ nostræ in ea restauranda soli doctrinæ intentos, de disciplina non laborasse, & talem ferè qualem à Papistis acceperint retinere : vt omnis penè Ecclesię nostræ regẽdæ ratio nõ ex Dei verbo, sed ex iure Canonico & Pontificũ decretis deriuetur. Quod siue ignorantia temporũ illorũ, siue negligentia, seu cupiditate honoris & gloriæ, seu opinione quadã, eam disciplinã potuisse ad tẽpus tolerari, siue quocunq; alio consilio factũ sit, magno Ecclesię nostræ damno atq; incõmodo factũ esse dubitare non potest, qui eã penitus cognorit, & diligẽtius cogitet quàm exiguus fructus ex tam diuturnis in Euangelij prædicatione laborib. redũdarit. Ex hoc eodem iure Canonico, tanquam ex equo

Troiano, tota illa Romana Hierarchia, Primates, Archiepiſcopi, magnates illi, qui ſe Epiſcopos appellant, Cancellarij, Archidiaconi, & eorum famuli officiales, Commiſſarij, & reliquæ ſordes exierunt: à quibus Eccleſia iamdiu capta, quodammodo in ſeruitute detinetur. Hinc forum illud Romanum, in quo turpiſsimus diſpenſationum (vt appellant) nefariarũ mercatus, & omnis quęſtuoſa perdendæ Eccleſiæ ratio exercentur.

Vtinam verò quũ Papiſtæ eijcierentur, vnà cum his opibus & impedimentis ſuis exire coacti fuiſſent, nec tam cupiſſemus his præclaris ſpolijs fieri ditiores. Non eſt hoc (mihi credite) Egyptiorum gemmis diteſcere, ſed vlceribus laborare. Inaures & ornamenta hæc peregrina quæ cõparauimus, conflando vitulo, quàm illuſtrando Dei tabernalo aptiora ſunt. Quare remittamus hæc vnde profecta ſunt, & ſeriam aliquando Eccleſiæ reformationem meditemur, & Pontificalium atque Canonici iſtius iuris, quo nihil eſt ἀκυρότερον, quodque primum & maximum in diſci

plina

plina noſtra peccatum, & reliquorum omnium fontem atque cauſam eſſe conquerimur, autoritatem abrogemus: & in noua reformatione hoc primum caput ſtatuatur, vt omnia ad Dei verbum quam fieri poteſt accuratiſsimè exigantur: ex his tabulis iura noſtra deriuentur, & tantum in Eccleſiaſticam diſciplinam admittamus, quantum poſsit Dei ipſius voce atque teſtimonio confirmari. Atque ſic nobis diſciplina generaliter definita ſit.

Nunc reliquum ſermonẽ, (vt omnis fere politica doctrina diſtribuitur) in duas partes diuidamus. Quarum prior in ijs explicandis verſetur, qui munus aut procurationem aliquam in Eccleſia exercent. Altera autem pars reliqui corporis Eccleſiæ, & tanquam ciuium munus & officium breuiſsimè perſtringet. Neque enim (vt inquit Apoſtolus) totum corpus vnum membrum eſt, neque omnes Prophetæ aut Doctores ſunt: ſed diſtinctio quædam eſt atq; varietas officiorum atque membrorum, qua vniuerſum corpus continetur. Quam omnem varietatem atque differentiam ipſis re-

1. Cor. 16. re Pauli verbis in hęc duo genera diſtribuimus, qui ad Corinthios alios συνεργοῦντας καὶ κοπιῶντας, id eſt, operā ſuam ad reliquæ Eccleſiæ ſalutem conferentes, atq; laborantes appellat: reliquum verò Eccleſiæ corpus fratrū & ſanctorū nomine comprehendit. Eod. ferè modo Apoſto-

Heb. 13. 24. lus ad Hebræos Eccleſiā ἐις τοὺς ἡγουμένους καὶ πάντας τοὺς ἁγίους, in eos, qui Eccleſiæ quodammodo duces ad omnia & autores ſunt, & reliquos ſanctos diſtinguit.

Sed Eccleſiaſticorū munerū quædam ordinaria ſunt in Eccleſia atq; ꝑpetua, quædam verò extra ordinem & tantùm ad tēpus aliquod vſurpata, poſtea in Eccleſia vigere deſierunt. Primis enim illis temporib. incredibili quadam Dei bonitate erga naſcentem populum ſuum, cœleſtia quędam dona magna & ſingulari varietate conferebātur: quæ poſt vt Eccleſia cepit adoleſcere, & Euangeliū iam illis miraculis ſatis confirmaretur, conferri amplius deſierunt: & certa quædam cœpit atq; cōſtans Eccleſiæ procurandę ratio conſtitui. Ac reliquis quidē, quæ potius (vt Paulus appellat) χαρίσματα quædā atq; dona quàm ſtata Eccleſię

mune-

munera habebãtur, nemo dubitare poteſt, quin gratijs illis ceſſantib. planè deſierint. De Apoſtolorũ aũt munere, Euãgeliſtarũ & Prophetarũ difficilior quæſtio eſt. Verũ quum hæc omnia in verbi prædicatione verſentur, abrogationis ſeu ceſſationis iſtorũ munerũ probationẽ in eũ locũ reijciemus, quo verbi diuini interpretes in ſuas ſpecies diſtribuẽt.

Interim verò extraordinarijs omiſſis, de ordinarijs Eccleſię munerib. dicã. Quorum quũ alia ſimplicia ſint, alia cõpoſita, de priori & ſimpliciori partę, vnde & hęc poſterior ferè tota emanat, primo loco fuſius (vt res ipſa poſtulat) atque vberius diſputabo. In omni verò tali munere Eccleſiaſtico illud inprimis tenendũ eſt, certam quandã ſingulorũ munerũ mandandorũ rationem eſſe, quam expectare oporteat, & quæ cũ ad imponendã tum ſuſcipiẽdam quamcunq; procurationẽ neceſſariò requiratur. Illa aũt muneris mandãdi ratio (ſiue creationẽ ſeu deſignationẽ, ſiue etiam magis hoc loco ab Eccleſiaſticis ſcriptorib. vſitato vocabulo vocationẽ appellare placet) Dei quædam eſt ad aliquã procuratio-

nem

nem in Eccleſia ſua gerendam ea ratione quam de ſingulis mandandis conſtituit ordinatio. Huius autem vocationis in quocunque Eccleſiæ munere ſucipiendo atque obeundo maxima ſemper neceſsitas habita eſt, vt nemo legitimè munus aliquod in ea gerere putaretur qui non intus Deum autorem vocationis ſuæ haberet, foris autem Eccleſiam ex Dei ordinatione munus illud deferẽ tem. Generale enim eſt illud Apoſtoli, neminem ſibi honorẽ aſſumere, niſi qui vocatus ſit, ſicut fuit Aaron. Neq; enim hæc de neceſsitate vocationis doctrina ex Aaronica illa nobiliſsima planta ita vna cũ ipſis amigdalis ſemel efflorvit, vt poſt etiam vna cum illis ex arbore decíderint, ſed hodie etiam Moſis ſic ingenio & labore ſata floret Aaronica Amygdalus, ex qua licet hanc doctrinam omnib. non modò Amygdalis ſed pretioſiſsimis quibuſque fructibus nobiliorem colligamus.

Numer. 16. 32. 35. Atque eodem ferè loco apud Moſen inſigne Dei iudicium recenſetur, quo videtur Deus legem (ne quis Eccleſiam ſine ſua autoritate vſurparet) in omne tem-

tempus ſancire voluiſſe, quum cœlum atq; terra tantam & tam effrenatam audaciam intueri ferreq; non poſſent: ſed illud tanti ſceleris reos igne conſumpſerit, hęc dehiſcēs viuos deglutierit. Quod nobis æterno documento eſſe debet, nō tantùm (vt inquit Moſes) nequis thura coram Deo incendat qui non ab Aarone profectus attollendi ius ſucceſsione quadam obtinuerit: ſed ne quis vnquam cōſtitutam in Eccleſia ſua à Deo rationem & ordinem perturbaret, & arrogaret ſibi honorem, quem nullo iure conſecutus ſit. Ad hunc etiam locū pertinet quod de Perez Vzzæ memoratur, qui quum tantùm Leuita eſſet, & præter officij ſui rationem arcam Dei ruituram ſuſtineret, quam ſolis ſacerdotibus licebat attingere, ſubita morte percuſſus eſt. Ita Deus Vzzæ Leuitæ (cuius munus ſacerdotio quodāmodo affine & cognatū eſſet) aliquid vel optimo animo atq; voluntate præter vocationem ſuam audenti nō magis pepercit, quàm antè Aaronis propinquis condonauerat. Quod ſi adhuc grauiora teſtimonia requirimus, ecce Azariam regem, qui 2. Sam. 6. 7. 2. Reg. 17. 5.

quum

quum regno non contentus sacerdotiũ inuaderet, lepra percussus est. Ita disciplinam hanc non tantùm semel sed sæpius horrendis atq; grauissimis pœnis Deus obsignauit, vt perpetuam vel constantẽ in Ecclesia legem sanciret, quam nulla esset tam proiecta ad omne scelus patrandum audacia, quæ violaret.

Quamobrẽ quum Deus nulli vnquã ordini aut dignitati tantam audaciam condonarit, sed Leuitas & ipsius Aaronis domum atq; familiam, Abiramũ & Dathamũ principes, Azariã etiam regẽ tam grauiter atq; seuerè vltus sit: meritò debuerat nos in tantis personis tam acerba vindicta, ignis cœlitus immissus, terra dehiscens, subitanea mors, & teterrimus morb. deterrere, ne sacra munera à voluntarijs magistratib. & Ecclesiã sine vlla vocatione capessentib profanari patiamur. Verùm quàm parum deterruerint, & quàm neglecta hac in parte disciplina sit, in qua constituenda Deus tam anxiè & solicite laborauit, satis superque constat, quum Papistici sacerdotes Euangelium, mulieres & obstetrices baptismum, Cancellarij, Archidiaconi,

toni, Officiales, Commissarij, & id genus reliqui disciplinam sine vel vlla omnino, vel legitima vocatione administrent.

Atq; quod ad Papisticos sacerdotes attinet, eos dico qui nulla vnquam noua ordinatione ad legitimum ministerium delecti sunt: sed tantum horrēdis illis sacris freti, quib. ad viuos & mortuos suo sacrificio expiandos, id est Christi seruatoris nostri sacrificium abolendum initiati, ad Ecclesiam gubernandā accesserunt, & Euangelium atq; sacramenta iam administrant: quis negarit tam proiectam audacia Dei iustissimis de vocationis necessitate latis legibus & institutis repugnare? Quantūuis enim vncti & peruncti sint, potestatemq; ab Episcopis suis sacrificandi pro viuis & mortuis acceperint, tamē illo oleo atq; vnguento atq; ea sacrificandi potestate accepta, in sacrū Euangelij & sacramentorū ministeriū non inaugurantur Oleum hoc prophanum est, nec cuiquā facit facultatē Dei mysteria dispensandi. Alia quadā vnctione Dei ministri instituuntur, quā Christus ipse parauit & mi-

scuit,

Matth. 28. 19. ſerit, quum Apoſtolos ſuos emitteret vt prædicarent Euangelium, & eos qui crederent baptizarent. Quæ quum ad illos vngẽdos nunquam adhibita ſit, cur aut profano ore Euangelium prædicare permittuntur, aut impuras manus ſacris Dei myſterijs admouere?

Sed & ipſi (dicit aliquis) manuum impoſitionẽ acceperunt, & ad Dei cultum, vt tum quidem omnes ſentiebant, ordinati ſunt. Ego verò etſi fateor eos manuum impoſitionem accepiſſe, neque hic quæro à quibus acceperint: nego tamen vnquam ad legitimum miniſterium delectos eſſe, & manus illas in alium finem impoſitas eſſe affirmo, qui cum Euangelij miniſterio maximè pugnat: vt nullo modo hoc iuſtum veri Paſtoris munus haberi debeat. Ac contrà quidem, tantum ab eo differt quantum inter veros Dei ſacerdotes, qui ex Dei inſtitutione ad ſacra gerenda Ieroſolymis creabantur, & Iſraëliticos vitulorũ ſacrificulos: vt ad tam pugnantia inter ſe munera eadem deſignatio atque inſtitutio non poſsit ſufficere. Sic enim omnes omniũ & regnorum & Rerumpub-

publicarum magistratus inter se differunt, & varietate finium distinguuntur: sic qui ad consulendum adhibentur, senatores: prætores, qui ad iudicandum: qui ad censum habendum, censores appellantur. Eodem modo in Ecclesia alius ad docendum, alius ærarium ad ministrandum ordinatur, & singula officia pro forma creationis distinguuntur.

Qua ratione etiam Apostolus ad Hebræos Christi sacerdotium à Legali sacerdotio distinguit ex illis verbis, Iurauit Dominus, &c. quibus Christus à patre suo sacerdos ordinatus sit, cum Leuitici sacerdotij ordinatione comparatis, eius sacerdotium tum ab illo altero valde diuersum, tum etiã illo longè amplius atq; nobilius esse confirmat. Christus enim (vt disputat Apostolus) secũdum ordinem Melchisedech instituitur: vt ex ipsis conceptis verbis ex Psalmo repetitis apparet. At Legis sacerdotes fiunt secundum ordinem Aaronis. Christus in æternum: illi tantum ad breue & exiguum huius vitæ tempus Deniq; ille cũ iuramento, isti nulla iurandi forma adhibita ordinantur. Vt non solùm

aliud atque diuersum ab eo esse, sed mul to amplius atque augustius confirmetur.

Quam tam accuratam Apostoli disputationem si imitemur, & ministrorũ institutionem, quæ his fere verbis apud Matthæum à seruatore nostro concipitur: Prædicate Euangeliũ, & quæ sequũtur, cum illa Papisticorum sacerdotum ordinatione ad viuos & mortuos suo sacrificio expiandos contulerimus: annon luce clarius apparebit quàm hæc duo munera inter se non solùm varia sint, sed planè cõtraria atq3 repugnantia? Quid enim commune est inter pastorem & sacerdotem? Quid inter Euangelium & sacrificium? Aut quid potius tam pugnans cũ Euangelij prædicatione, quàm nouum hoc sacrificiũ, quo viuorum & mortuorũ peccata procurentur? Sacrificiũ quidem Deo gratũ est, & ὁσμὴ εὐωδίας καὶ θυσία δεκτὴ, vt alia quadã de re loquitur Apostolus: quum ministri acutissimo illo diuini verbi gladio veterem hominem nostrum tanquam victimam trucidant, atque iugulatam Deo offerunt, neque verò vlla Deo gratior

tior hostia esset potest, quàm quum mortificatis carnis concupiscentijs super illius altare offeramur. Sed tantum abest vt hoc sacrificio vlla peccata expientur, vt quantum ei hac in parte tribuamus, tantum de CHRISTI vnici sacerdotis nostri sacrificio detrahatur.

Sed sacrificij nomine sacræ Cœnæ administratio, & per eam reliquum ministerij munus designatur. Papista quidem hoc aliquis dixerit, qui Missam pro Dominica Cœna venditat. Nos autem, qui ex Dei verbo in solo Christi sacrificio acquiescimus, & omni alia spe deposita ab ira Domini ad vnicum crucis suæ altare confugimus, fateamur quod credimus, nihil cũ sacra illa Cœna tam pugnans esse quàm missaticam idololatriam: nihil mortis Christi cõmemorationi tam contrarium, quam nouũ hoc altare, quod contra crucis Christi altare erexerunt. Quamobrem quum tanta sit rerum ipsarum atq; munerum non tantũ varietas atq; dissimilitudo, sed contrarietas atque repugnantia, manifestum est neminẽ posse eadem ceremonia

ad duo tam inter se diuersa munera obeunda designari, nec permittendos esse Papisticos sacerdotes Ecclesiæ Dei sine nouo delectu atque creatione inseruire. Quando autem & quomodo admittendi sunt, postea suo loco dicetur, quũ de neophytis disseremus. Sed de Papisticis sacerdotibus nimis multa.

De obstetricibus atque mulieribus eam partem publici muneris sine vllo Dei mandato, ac potius contra expressum Dei verbum assumentibus, vt infantes de vita sua periclitantes baptizent, pauca nobis hocloco addẽda sunt. Quod tamen mihi necessariò faciẽdum non existimarem, vt tam absurdum errorem conuincerem, si post tot annos quib. singulari Dei clementia erga nos sacrum illius verbũ liberè & sincerè annunciatur, adhuc quæ vis adoptionis, quæque fœderis, quale æternũ illud Dei in Christo de nostra salute consiliũ, quis sacramentorum & nominatim baptismi vsus sit intelligeremus. Non enim dubium esse potest, ab his fontibus sordes has in Ecclesiam profluxisse, vt propter eorũ quæ diximus ignorationem,

quosdam

quosdam in eo loco Iohan. Nisi renati fueritis ex aqua & Spiritu sancto, non potestis ingredi in regnum cœlorũ, videamus ita offendisse, vt baptismum ad salutẽ consequendã necessarium, & non baptizatos æterno exitio deuotos esse existimarent. Quum tota Scriptura, ad cuius analogiam hic locus exponendus est, apertè doceat, electos ratione διαθήκης, fœderis & ὑποθέσεως, in Christo seruari: Abrahamum etiam ante acceptũ circuncisionis signũ (cuius ea vis erat quæ hodie est nostri baptismi) iustum à Deo existimatum esse, sacramentis fœdus & promissiones non fieri, sed obsignari: idq; nõ vt Dei verbum in seipso, quod per se constans est, certum, immutabile, nec vllam aliunde fidem aut confirmationẽ desiderat, sed in nobis, quorũ infirmitas ad πληροφορίαν fidei his adiumentis opus habet, confirmetur: vt quum Deum salutẽ nostram sigillo suo confirmasse, & sub signo habere videamus, tutius discamus in illius fide atque custodia acquiescere. Ioh. autem locus siue ad Spiritum sanctum (qui vt alibi per ignem, ita hic per aquam designa- Iohan. 3.

tur,& huius de qua disserit seruator noster παλιγγενεσίας autor est) siue etiam ad ipsum baptismum referatur, nullo modo salutem nostrā ad quamuis aquæ aspersionem rēstringit,sed ad sacramentum.Sacramentum autem sine ministro nullum est, vt nec mandata sine legato.Etsi priuatus aliquis panem ex Christi institutione frangeret, & alijs in eius mortis commemorationem cōmunicaret,ecquis illā sacram cœnam Domini, ac non potius sanctissimi mysterij profanationem esse dixerit?

Atque ne sic quidem quū a ministro præbentur,externo baptismo aditus noster & ingressus in cœlum tribuēdus est: nisi quatenus sacramentis propter arctissimam rei significatæ cum ipsis symbolis coniunctionem,vsitata quadā scripturis in hoc genere loquendi formula, tribuitur, quod ipsi rei, cuius est sacramentum, tribuendum esset. Qua tamen forma Scriptura non vtitur in sacramentis, quum sermo est de ijs qui certis causis impediuntur ne obtinere possint, sed in ijs tantum qui obtinuerunt,& eorum participes facti sunt. Nō

est

est ergo ea baptismi ad salutem necessitas quæ à multis fingitur, vt hac de causa sanctum Dei institutum (quo solis ministris sacramenta administrare licet) profanetur.

Quam vero aliam huius profanationis causam cōminisci possint, non satis intelligo. Ac mirum mihi profecto videri solet, quòd tali tempore non viros potius (etiamsi priuatos) ad tale negotium adhibuerint: minus enim certè in eo peccatū esset. Mulieres enim vno lapide longius ab hoc officio remouentur, quibus hæc tractare nefas est, non tantum quia priuatæ, sed etiā quia mulieres Sexus enim ipse à Paulo à publico aliquo munere in Ecclesia obeundo arcetur, ἐν ἡσυχίᾳ collocatur. Qua illis vacatione atque otio per istos frui non licet, à quibus ad hęc negotia gerenda, & ἀνθεντεῖν tam disertè vetitum excitantur. Atq; si propter eam quam sibi comminiscuntur necessitatē, hoc illis dandum sit, cur non etiā ob eand. necessitatem & Dominicæ cœnæ & ipsius verbi administrationē permittunt? Quare quum hac Paulina sanctione ab omni

1 Tim. 2. 11. & 12.

Ecclesiastici muneris administratione arceantur, & indigna Christi instituti violatio, & baptismi profanatio sit, mulieribus & obstetricib. facultatem hanc in Ecclesia concedere, diuina quædam μαιευτικὴ hic adhibenda est, vt Ecclesia nostra tanto & tam fœdo errore leuetur: statuendumq; omnino quod Deus præcepit, ne ij qui non modò ad Dei legationem obeundam delecti non sunt, sed nec possunt quidem vllo modo deligi, legationis dignitatem violare, & eius autoritatem atque mandata ementiri audeant.

Restat iam vt in Archidiaconos, Cancellarios, Officiales, Commissarios, & id genus reliquos, qui nulla verbi Dei autoritate freti, totam Ecclesiam gubernandi, de causis ad Ecclesiasticum senatum pertinentib. iudicandi, atque adeo non tantùm plebē, sed ipsos etiam ministros arbitratu suo corrigendi atque mulctandi ius potestatemque sibi assumunt, διακρίνομεν. Qui quam ἀπολογίαν nobis in eorum creationem inquirentibus afferre possint, quæ signa, quod sigillum vocationis suæ ostensuri sint non

satis

satis intelligo: quum sacræ literæ non modò hæc illis gubernacula non committant, sed vniuersum hoc genus ignorent. Neq; enim in vlla parte earum tabularum quib. seruator noster vltimam voluntatē suam testatus est, & orbæ Ecclesiæ suæ tutores designarit, istorum tutelam vel minima aliqua significatione ostendit: sed Apostolorum, Prophetarum, Euangelistarum, quibus ad certum tempus eius tutela incumberet, post etiam Pastorum & Doctorum seniorum meminit, qui perpetuam eius procurationem sustinerēt. Sine verò tanti testatoris voluntate nō tantùm partem aliquam huius curæ sibi assumere (quod tamen sine testamenti violatione fieri non posset) sed vniuersam procurationem, idque abdicatis legitimis curatoribus & suæ potestati subiectis, ac tanta vi in alienam possessionem inuadere, vt dominū depellas, & tibi parere rogas: non modò iuris aut æquitatis nullā defensionem habet, sed magistratus autoritatem ad tanti sceleris indignitatem corrigendam & castigandam desiderat. Atque quæ est ista rerum omnium tanta

perturbatio atque confusio, vt Diaconus relicta sua pauperum procuratione alienam assumat, Pastoribus & senioribus (non tantùm Ecclesiæ) imperet, quibus ex Dei mandato subijcitur? Leguleios & Canonistas Theologorũ & ministrorum autoritatem vsurpare? Omitto pleroſq; eorũ Papistas esse & ad clauum sedere, quib. ne in sentina quidem locus esse debet. Hoc enim hominum vitium sit: de reipsa loquor.

Sed Episcopus, dicit aliquis, hanc potestatem ex Dei verbo habet, illi deinceps ab Episcopo, cuius officio hac in parte funguntur, & autoritatem exercent. Quid Episcopus habeat, & æquale atque cõmunem cum pastoribus & senioribus administrationem gerere, non singularem aliquam atq; propriam, postea suo loco videbimus. Sed ponamus soli Episcopo hanc potestatẽ esse permissam, vt ille subiectã Ecclesiã ex Dei verbo regat atq; gubernet: an etiam vt ipso oscitante atq; dormiente, alij illius officio fungantur? Atq; vt hoc liceret, vicaria aliorum opera vti, tamen non quiuis, sed tantum eiusdem ordinis

aliquis, cui idem quoq; conceditur, & qui æquali loco dignitatis sit, substituendus esset. Neq; enim prætoris vrbani in republica potestas cuiuis permitti & à quocunq; suscipi potuit, sed tantum ab aliquo eiusdē ordinis delecto & probato viro: vt nec consulū apud Romanos, nisi ab ijs qui essent consulares. Quanto minus claues illas domus Dauidicæ cuiquā credi ac committi oporteat, nisi cui filiusfamilias, qui paternam domū administrat, credendas & cōmittendas esse censuerit? Quantum enim periculū est ne temerè quæuis claudant & aperiant ac non ex hęredis mandato, sed libidine sua singula administrent, margaritas Dei suibus proijciant, sacra mysteria prostituant, alienos admittant, domesticos reijciant, omnia denique insigni quadam peruersitatę profanent atque confundant? Atq; ipsa quidem experientia iam edocti sumus, quàm turpiter errarint qui illis tantarum rerum custodiam crediderunt, qui hæc eadem quæ commemoraui sæpius accidisse vidimus, atq; hodie etiamnum videmus, vt ex hoc foro aliquis lucelli sui causa

hone-

honeſtiſsimos regni Dei ciues, quantũ in illis eſt, de cœlo deijciant, & in inferos ipſos deuoueant atque præcipitent: hoſtes vero ſæpiſsimè ciuium loco habeant, ac cum illis omnes cœleſtis regni prærogatiuas atq; iura communicent. His enim ferè accidit quod mercenarijs illis, de quib. ſeruator noſter Ioh. 10. vt cum non ſuo ſed alieno munere fungantur, nihil curæ habeant qua quid que fide gerant, ſed pro ſuis commodis ac voluntate omnia adminiſtrant.

Sed de his rebus poſt (vt ſpero) dicemus fuſius. Nunc pergamus: atque vt vtrumque illis concedamus, & Epiſcopum hanc autoritatem habere, & alios quoſcunq; ſibi ad eam exercendam adhibere poſſe: tamẽ ad perpetuum munus in Eccleſia & ordinarium ſine iuſta ac legitima ordinatione (quæ, vt poſtea dicetur, electione & ordinatione conſtat) qui tandem licere exiſtimabimus? quum generale ſit, & ad omnes Eccleſiam procurãtes ſine vlla exceptione pertineat, quod primo loco tanquam totius huius diſputationis fundamentum poſuimus, ne quis ſibi honorẽ aſſumat,

niſi

nisi qui vocatus sit, vt fuit Aaron. Illi verò Arch. & Cancellarij quum sola Episcopi voluntate, & reliqui eorum designentur, nihilque eorum ad eos creandos adhibeatur, quæ in omni Ecclesiastici muneris functione imponenda, adhibenda esse docebimus, nulla electio, preces nullæ, nulla ordinatio, nulla manuum impositio, & id genus alia quæ requiri in tali re & solent & debent, ac vix quidem quæ ad honestiorem aliquem in Republica magistratum constituendum adhibentur: fatendum omnino est, quod res ipsa clamat, & certissimis argumentis euicimus, totā hanc turbam autoritatem suam (non dico hoc loco quam legitimam) in Ecclesia sine vlla vocatione exercere. Quare cum tot voluntarij senatores & alij publica munera gerentes in Ecclesiam ingressi sint, atque hoc grauissimè (vt supra ostendi) iram Dei cómoueat: quod Romani singulis lustris faciebant in omnibus ordinibus, cur decimo quinto demum anno, postquam Dei gratia sacrum eius Euangelium inter nos annunciatur, in Ecclesiasticis muneribus non facimus,

vt

vt eorum census habeatur, vt iusta autoritate atque legitima, ab iniusta & iniqua distincta, impudentes magistratus, & nulla neque Dei nec Ecclesiæ autoritate ad publicum munus in Ecclesia gerendum adhibiti, muneribus suis abeant, & honoribus abdicentur? in singulorum vocationes inquiratur? electionem atque ordinationem, literas sigilla vocationis commonstrent? genealogias suas explicent atque euoluant? virgas coram arca Dei collocent? & qui electionis suæ signa non ostenderint, genus ab Aarone repetere non possint, ac quorum virgæ non efflorauerint, ab illis muneribus quæ iniquissimè vsurparunt, iustissima verbi Dei autoritate abiudicentur?

Sed de necessitate vocationis satis multa: vtilitatem atque fructum doceamus. Qui mihi quidem tantus videri solet, vt si nulla eius contemptæ aut neglectæ pœna esset, tamen propter incredibilē eius vsum, & præstantissimos fructus expetenda expectandáque sit. Quid enim tam prodesse potest ad animos nostros cōtra quæuis pericula, quæ

in

in ea fideliter versantibus impendere solent, quã diuinæ autoritatis cogitatio, qua freti in ea statione insistimus, & quæ nos contra omnes omnium inimicitias atque insidias defensura sit? Tum demum enim conscientia nostra nullos neque ventos neq3 fluctus pertimescit, quum Deo autore nititur, & illius præeuntis vestigia persequitur Huc accedit etiã illud, quòd ij quib. præficimur, nulla re magis in officio contineri possint, & ad ea quæ decet obeunda persuaderi, quàm quũ Dei illa mandata esse intelligunt, cuius legatione fungimur, ac eam solùm autoritatem quam diuinam iudicant, reuerentur.

Huius rei clarissimũ exemplum habemus in Dauide, quem sæpe cadentem atq3 labentem sustinuit, sæpe etiam afflictum atq3 oppressum excitauit, quòd non sua quadam ambitione (vt inimici criminabantur) sed ex Dei vocantis, & per Samuelem Prophetam ad regnum ordinantis autoritate ad Rempublicam gerẽdam accessisset. Atq3 huius quidem creationis maiestas Israëlem, id est decẽ tribus, quæ se per totos septem

annos

annos ad illius Imperium non adiunxis sent, tandem ita affecit atque commouit, vt quem antè dedignabantur, tandē aliquando regem suum libenter agnoscerent. Hinc etiam est quòd tam diligenter Paulus in singulis fere Epistolarum suarum initijs, se Apostolum & seruum Dei esse præfatur, quòd apud Corinthios tam solicitè de Apostolatu suo illis persuadendo laborat, quem à falsis quibusdam fratrib. oppugnatum esse persensit, vt autoritatem suam apud Ecclesiam diminuerent. Neque verò vlla re alia in infinitis suis periculis molestijs atque laborib. Euangelij causa susceptis confirmabatur, nisi quòd Deum illi in eo munero obeundo, ad quod ab illo designatus esset, affuturum esse confideret. Quo tanto fructu si monemur, Dei vocē ad publicum aliquod munus in Ecclesia sua gerendum expectemus: planissimè autem nobis de illius Imperio atque autoritate constet, ne postea pseudothyro in Ecclesiam ingressi, Deum huius ambitionis vindicem, refractarium populum, conscientiam ad omnia non tantùm grauiora pericula, sed leuis-

leuissima quæque terriculamenta vacillantem atque contremiscentem experiamur. Ergo ad omnia Ecclesiastica munera suscipienda atq; obeunda Dei designantis autoritas expectanda est, atque ita quidem expectanda, vt eam nulla fraude aut inhonestis artibus ambiamus.

Neque verò hîc quisquam dona & suã dignitatem ostentet, quibus fretus tanquam canditatus honores ambiat. Quantumuis enim ad quamcunq; procurationem gerendã instructus esse videatur, tamẽ nihil hic temere sine Deo audendum est, qui ad res suas quos ipse volet adhibebit. Samsonis quàm incredibile robur fuit, & (vt ait ille) ἄξιον τυράννου, in sacra Iudicum historia memoratur. Nisi tamen ille Domini Nazarenus natus fuisset, & ad liberandum populum ab vtero matris suæ delectus, Philistæos vlcisci, & gentẽ suam ab eorũ potestate eripere atq; vindicare non debuisset: quin potius vires illas & lacertos (tanquã tela sua Philoctetes apud Sophoclem) pennigero non armigero in corpore exercere Neque verò Salo-

moni Rempublicam attingere & præclaram illam ſapientiam in ea regenda exercere licuiſſet, niſi Deus illum delegiſſet, qui patri Dauidi in regio ſolio & regni adminiſtratiõe ſuccederet. Et ſuo quidem merito Abſolomus & Adoniah ἑαυτὸς δοξάσαντες vt loquit Apoſtolus, reiecti ſunt: vt qui à Deo delecto & illo Imperio digno habitus eſſet, imperaret. Vt ſimili in cauſa Core & tota illa συνοχία, ac poſt etiam Azarias iuſtã repulſam paſsi ſunt, quũ honores atq; miniſteria præter Dei volũtatẽ appeterẽt. Nouit enim Deus familiæ ſuæ moderari, & pro ea fide quam in ſingulis eſſe intelligit, quid cuiq; credendum atq; committendum ſit. Vt qui in illius iudicio non acquieſcat, ſed aliquid præterea appetat, atq; adeo omni ratione ad ſe attrahere conetur: illũ aut malitię aut ſtultitię in domo ſuæ adminiſtratione arguat, ac propterea grauiſsimi ſceleris reus ſit, neceſſe eſt.

Neque vero hic illud Apoſtoli nobis opponant, eũ qui Epiſcopatũ deſiderat, rem præclaram appetere, vt candidatoriæ petitionis ambitionem confirment. Quum tantum abeſt vt his verbis

ad

ad Episcopatū ambiendum inflammemur, vt contra Apostolus frænum cupiditati nostræ iniecisse videatur. Quòd enim opus pręclarū dicit, quo putamus pertinere, nisi vt simul etiam quàm difficile sit admoneat, & singularis cū pietatis tum doctrinæ hominem desiderare? Sic enim sequitur, Episcopum integræ & inculpatæ vitæ hominē, sobrium, continentem, liberalem, manſuetum, aptū ad docendum esse oportere. Atq3 hæc Episcopatus præstantia est quā hoc loco ostendit Apostolus, & quam alibi ita admiratur, vt neminē tanto muneri obeundo parem esse existimet. In qūo non tam inflāmatur quàm restinguitur ambitio: quum rei difficultate atq3 grauitate moneamur, ne quid hic temere audeamus, sed omni potius studio, cura, diligentia, cogitatione tanto oneri sustinendo nos cōparemus. Verbū ἐπιθυμεῖν, quod desiderare aut expetere significat, malè ad ambitū & petitionē ministerij trasferunt, quū Apost. sanctū quendam amorē atq3 zelū illustrandæ Dei gloriæ & ædificandæ Ecclesiæ significet, qui cupiat quidem aliquando posse se Deo &

Ecclesiæ inseruire, qui hoc quotidie meditetur atque cogitet, ad hoc se paret atq; exerceat, & in eo omnes curas suas cogitationesq; consumat: sed tamē qui Dei vocem & Ecclesiæ autoritatem expectet, neque tempus vocationis suæ immaturo quodam & præcipiti ardore ac præpropera quadam atque ambitiosa cupiditate anteuertat.

Ac Christum quidem seruatorē, omni diuina sapientia instructissimum, ad vigesimum ferè ætatis suæ annum delituisse legimus, & Patri sui vocem illam expectasse, qua celebratus dilectus filius, in quo vno acquiesceret, ad legationem suam obeundā emitteretur. Disputarat quidem semel antè cum doctorib. in templo: sed illa iusta publici alicuius muneris executio nō fuit, sed quasi velitatio quædā, & primæ hastæ, quas tum leuiter iactans se ad iustum certamen & grauiorem pugnam, quæ postea sequuta est, exercebat. Similiter faciūt Apostoli, qui non sine illius mandato & ordinatione sese in Ecclesiam ingerunt, sed vocem illam expectarunt, Ite, prædicate Euangeliū, & credentes in nomine meo

meo baptizate. Eadem modeſtia in veteris Eccleſiæ Epiſcopis apparet, quandiu quidem illa incolumis atq; integra permanſit. Poſtea enim vt per fraudem ad dolum in Eccleſiam ingredi non dubitarunt, ita ſemel ingreſsi nihilo maiore neq; modeſtia neq; fide in ea verſati ſunt. Quin quo contineamus illud σπουδεπισκοπεῖν, & animi ſancto deſiderio & ſtudio noſtro atq; voluntate contenti ab iſtis ſordibus caueamus, exempla hæc tam auguſta, tanquam legem quandam de ambitu nobis latam eſſe exiſtimemus. Quã ſi violare volumus, ne dubitemus quin aliquando maxima ſummi iudicij frequentia de ambitu poſtulemur. Neq; verò tantùm in Epiſcopatu, ſed in alio quouis munere Eccleſiaſtico iſtud τὴν ἀρχὴν μνηστεύειν turpe & indignum Chriſtiani hominis modeſtia cenſeri debet. Ac multo quidem præſtaret, totum hoc prenſare Dei δεξιοῦσθαι, & omnes gratias ad honores conſequendos candidatoria quadam diligentia ambire, Romam, vnde accepimus, relegare.

Quum ergo ambitioſa honorũ quærendorũ petitione magnꝰ fructus amittatur,

tatur, qui ab illis percipi solet quibus plenè de sua vocatione & Dei eiusdem autoris voluntate cōstat, quum Christi, Apostolorum ac totius veteris & purioris Ecclesiæ exempla nos ab ista tota ratione auocant, ad omnem sobrietatē atq; modestiam cohortentur, magnaq; Deo fiat iniuria cuius autoritas non expectatur, & Dei instituto & nostro commodo atque fructu ab hac φιλοτιμια καὶ φιλαργια reuocemur. Corrigamus aliquando morem illum ad diem ordinationū Episcopi ex omnib. partibus cōfluendi, ordinationem & ordines (trito Papistis vocabulo ferè appellant) petendi atq; ambiendi, commendatitias amicorum, aut dominorum literas afferendi, omnē deniq; corrumpendę vocationis rationem quærendi: ac tandem (quod iam diu factū oportuit) ex Dei verbo statuamus, ne quis amplius vllam in Ecclesia dei vocationē ambiat, domi omnes sese cōtineāt, operā suam modestius offerāt illic Dei vocem & eligentium autoritatem ad Ecclesiā capessendā expectent.

Supersunt adhuc de vocatione ad Ecclesiastica munera obeunda quædam dicen-

dicenda. Quorũ primũ eſt, quòd nunquã libera vagetur, ſed cum certi alicuius loci atque Eccleſiæ procuratione coniuncta ſit. Neq; enim (vt in reliquarum artium profeſsione ferè fit) ordinationes iſtæ tanquam cõmendationes quædam, & Eccleſiæ de alicuius dignitate iudicia cenſendæ ſunt, vt quemadmodum qui Academiarum autoritate atq; ſuffragijs ad liberalium artium & iuris ciuilis aut medicinæ docendæ gradum promouentur, nullos tamen quos doceant, aut quibus conſulant aut medeantur, & apud quos illam ſuam facultatẽ exerceant, deſignatos habẽt: ſed ipſi prout è re ſua eſſe exiſtimãt, ad ea loca adeunt, quæ cuiuſque facultati exercendæ aptiſsima & vtiliſsima fore vidẽtur: vel etiam domi (ſi placet) otiantur: ita & Eccleſiæ miniſtri ordinationem, tanquam cõmendatione aut doctorum ſuffragatione accepta, ipſi quoq; ſibi locũ ſuis rebus commodum proſpiciant, aut etiã (ſi malint) otio conſeneſcant. Illi enim tanquã honores atq; præmia quę dã ſtudioſis deferũtur, quæ laboris nihil amplius ſęcũ coniunctũ habent, quàm

ipsi volunt, & sibi vtilem futuram esse putant. Hic potius imponuntur quam deferuntur honores, & non eius causa qui deligitur concedūtur, sed eorū causa qui opera sua & labore opus habent, onera potius habenda sunt, & tanquam tutelæ quædam. Qui si nulli sunt, ratio nulla est ad Ecclesiasticam procurationem designandi. Itaque nusquam Apostoli ministros aut Diaconos constituerunt, qui sibi postea prospicerent de Ecclesia in qua docerent, aut cuius ærarium administrarent, vel etiam otiaren tur: sed prout Ecclesiæ opus habebāt, ita illis Diaconos, Pastores, Presbyteros ordinarunt.

Sic Act. 6. legimus quū Hierosolymitanæ Ecclesiæ vsus postularet, Diaconos ab Apostolis ordinatos esse, qui illius Ecclesiæ ærariū distribuerent, & illam pauperum atq; viduarum curam procurandam susciperent. Sic Actor. 14. Paulus & Barnabas κατ' ἐκκλησίαν, id est, in singulis Ecclesijs, Presbyteros ordinasse legimus: & nec Ecclesias tutoribus & curatoribus orbas, nec Presbyteros, nisi certis Ecclesijs, quæ illis opus habebant, designas-

designasse. Similiter & Tito Paul. (quē Cretæ ad describendas & constituendas Ecclesias reliquerat) disertè mandat vt Presbyteros κατὰ πόλιν in singulis vrbib. (in quibus nimirum Ecclesia aliqua & cœtus credētium esset) ordinaret. Atq3 hanc ob causam nusquā (quod sciam) Presbyterorum aut Diaconorum mentio in sacris literis habetur, vbi non simul regionis & ciuitatis atque prouinciæ nomen non coniungatur, in quibus Presbyterium & Diaconatum suum exercerent. Hinc in Epistola Pauli ad Philippenses scribitur in initio, Paulus, &c. sanctis qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconis. Hinc quod scribit Lucas, Paulum accersisse Ephesinos Presbyteros, Antiochenam Ecclesiā Apostolos & Hierosolymitanos Presbyteros de circūcisione consuluisse. Eodem modo Petrus scribens ad Ecclesias quæ in Pōto, Galatia, &c. dispergebantur, c. 5. ait, Presbyteros ὑμῖν παρακαλῶ, id est, qui singulis vestrū Ecclesijs præsunt, ad hortor Quib. etiā τὰ εἰς ὑμᾶς ποίμνια, id est, singulis greges suos (vt certis ouilibus seruandis designatos esse constet) no-

minatim commendat. Atq3 hæc Apoſtolorum non tantùm exempla ſunt, ſed leges atque mandata Presbyteros atq3 Diaconos Eccleſijs, prout ſingulorum ratio poſtulat, ordinandi. Neque verò intelligo quomodo munus aliquod accepiſſe haberi poſsint, quibus (ſi libet) ſine illius iniuria licet otiari.

Ac ſæpius quidem à veteribus Synodis contra infinitas iſtas atque otioſas & liberas ordinationes ſancitum eſt, ne quis Presbyter ſine Eccleſia, & (vt illæ loquuntur) ſine titulo ordinetur. Et certè niſi omnia in diſciplina noſtra cõfuſa & perturbata eſſent, nũquam hanc tam inſignem ἀταξίαν ferre poſſemus, vt commendationes pro legitimis miniſterijs concederentur: quæ tum demum munera Eccleſiaſtica ſunt, quum commendati Eccleſiã, quæ opera ſua vti velit, obtinuerint: Interim verò aut nihil agant, aut totum regnũ pererrent, tanquam errones aut reiectitij ſerui dominos quærentes, quibus operam ſuã collocent, & qui labore ſuo vti velint. Simi lia quidem tempora in hiſtoria Iudicũ recẽſentur, quib Ionathanus Leuita excelſo

celso & altari destitutus vagabatur, operam suam conducere volenti collocare cupiens. Sed adijcitur nullū tum fuisse regē in Israële. A Dauide verò atq; Salomone tanta cōfusio postea sublata est, & singulis sedes suæ, vrbes, oppidaque ex vetere Mosis & Iosuæ instituto descripta sunt. Quare nos qui sub Christi veri Salomonis regno viuimus, qui omnem hanc rationē accuratissimè descripsit, cur tam insignem labem diutius in Ecclesia hærere patimur? Neq; ex Dei verbo atq; autoritate cauemus ne quis ad Ecclesiasticā vllam functionē, nisi certa in Ecclesia obeundam ordinetur? Neque sacerdotes ad arcam domini, Leuitas ad vrbes & oppida sua reuocamus?

Restat adhuc quiddam, quod etiam ad omnes Ecclesiasticas functiones suscipiendas æquè pertinet. Vt nimirum eas ita gerāt atq; administrent, nec neglecti aut prætermissi officij crimine teneantur. Σπάρτην ἔλαχες, ταύτην κόσμει. inquit ille. In Ecclesia autem quæ tam parua prouincia est, quæ non omni fide diligentia, studio, mēte, cogitatione denique omni decoranda atque ornanda sit?

ſit? cuius gerendæ Angelos ſpectatores habemus, Deũ verò fideliter geſtæ, benigniſsimum remuneratorem, contrà autem male defunctæ ſeueriſsimũ vindicem atque vltorem habituri. Quod
Coloſ. 4.17. enim Archippum moneri iubet Apoſtolus vt munere ſuo, quod à Domino accepiſſet, diligenter perfungeretur, id latius patet, & ad omnes publica munera in Eccleſia gerẽtes referri debet. Ac ſingulos quidẽ adſe pertinere putare oportet quod idem Apoſtolus Timo. ſuum
.2 Tim. 4.5 admonet, vt munere ſuo defungãtur, & miniſteria omni ratione πληροφορῶσιν. Quinetiam execrationem illam quam capiti ſuo impendere ſenſit Apoſtolus, ſi Euangelium non annunciaret, quum hoc munus accepiſſet, reliqua quoque quæ ad vllam Eccleſiæ partem adminiſtrandam acceſſerunt, ceruicib. ſuis imminere ſciant, niſi ea bene & fideliter defungantur. Neq; enim in domo Dei vlla tam parua cura eſt, cuius non accuratiſsima ratio reddenda ſit: ſtuſtra hic immunitates & ἀνεύθυνον ſomniamus: ad calculos omnia vocabũtur, qua quidq; fide atq; diligentia curauerimus, exponendum

nendum erit. Voluntarijs atq3 grauiſsimis accuſatoribus de malè geſto officio reſpondendum, & rationes, omniū quos ſol vnquam vidit maximo atque auguſtiſsimo iudicio atque corona referendæ. Quum enim ex illa creditorū talentorum parabola vel minimæ in communi vita ſuſceptæ curationis exactiſsimā rationem reddendā eſſe conſtat, quantò accuratiora omnia in Eccleſiæ gubernatione fore putamus? Atque ſi de vnico talento accepto tam grauis quæſtio habenda ſit, qui maiora in Eccleſia munera obeunt, & quorum fide in illis gerendis Eccleſiæ ferè ſalus continetur, quàm illi omnibus curis dies & noctes de fungendo officio cogitare debēt, qui maximis rationibus reddendis obnoxij ſunt, & nō vnius talenti, ſed Eccleſiæ curam ſuſceperint: quam Dominus noſter ita charā habuit, vt illius cauſa de ſummis cœlis in hanc infimam terræ partē deſcēdendū, & nec auro nec argento (vt inquit Pet.) ſed pretioſo ſanguine ſuo ſibi acquirendam & redimendam eſſe iudicauit? Matth. 25. 14.

Sed aliter facio quàm inſtitui, qui ad mi-

minas & cohortationes delapſus, quum id tantum initio ſuſcepiſſem, vt quid fieri debeat, & quid ſecus fiat oſtenderem. Et tamen tanta hac in parte peccata ſunt, vt nihil ſatis grauiter atque vehementer hic dici poſſe videatur. Neq; enim ſola negligentia quadam atque incuria, ſumma quæque & præcipua Eccleſię munera grauiſsimo illius diſcrimine negliguntur, ſed & prærogatiuæ quæ dã atq; immunitates conceduntur, quæ miniſtros ab officij ſui fungendi neceſſitate liberent, & Paſtorib. gregis atque Eccleſiæ ſuæ deſerendæ ea lege atque conditione poteſtatem faciunt, ſi alium qui liturgiam recitet ſuo loco relinquant. Atq; ijs quidem qui ad Academiam adire volent, ex communi lege ad triennium abeſſe licet: reliquis prærogatiuæ in foro Archiepiſcopi proſtãt, & pecunioſa redimũtur. Eiuſdẽ generis ſunt & illa diplomata quæ ex eodẽ foro emi ſolent, quæ plures Eccleſias, id eſt (vt loqui ſolent) beneficia plura, atque adeo infinita, cumulandi facultatem faciunt. Quæ facultates (vt appellant) præter intolerabilem auaritiam,

cum

cum qua etiam (propter multorũ hominum in hoc genere diligentiam) plurimorum egestas (vt fere fit) cum pauci omnia ad se rapiant, coniungi solet, necessitatẽ quoq3 negligendi muneris in Ecclesiam inducunt, quum vnus multis simul Ecclesijs, ac sæpe quidem tota regione disitis inseruire nullo modo possit: vt in horrenda dissipatione Ecclesiæ, negligendo ac deserendo grege Domini, in montibus ac syluis palante atque errante (quem ille, vt in viam reduceret, vitæ suæ parcendum esse non putauit) nulla quidem ex parte Papistis ipsis concedamus.

Hæc ergo disciplina nostra est hi ic ille ordo, quem verbis atque voce quidam sæpe laudantes, reipsa nihilo minus desiderant: hoc Ecclesiæ regimen atque moderatio. Et tamen nulla libera de reformanda nostra disciplina vox, nulla de puriore atque Apostolica πολιτεία instauranda oratio audiri potest. An verò quum hæc apertè cũ sanctissimis Christi seruatoris & Apostolorũ exemplis institutisque pugnent, certam Ecclesiæ ruinam minitentur, columnas

ipsas

ipsas non tantum labefactent, sed funditus ferè tollant: annō iure (inquam) & Dei gloria & Ecclesiæ salute ad sanctiora instituta & sanioré Ecclesiæ regé dæ rationē requirēdā cōmonemur? Has nimirū leues & parui momenti res quis appellet, sacras Dei leges sine vlla verecundia apertè violare, Ecclesiam Christi sanguine redēptam negligi, nullam fungendorum munerum curam haberi, hominē sibi arrogare quod Angeli ipsi non audeant, & Archiepiscopum sibi assumere, vt pastori (cōtra expressum Dei mandatum) relinquendi atq3 deserendi gregis sui facultatem faciat, aut ea indulgeat ex quibus hoc necessariò consequatur, quod nullus Archangelus arrogare possit? Quid illa quæ ab initio ad hunc locum differui, Ecclesiasticam disciplinam non ex Dei verbo, & Christi Domini nostri voluntate, sed ex iure Canonico petere (quod ego quidem reliquarum omnium corruptelarum fontem & originem esse non dubitem affirmare) Papisticos sacerdotes, mulieres, Archidiaconos, & Cancellarios, cū suis Officialibus & Commissarijs reliquisq3 quis-

quisquilijs, impuras manus nec Deo sacras, ad rem diuinam faciendam, annũciandum Dei verbũ, sacra mysteria tractanda atq; distribuenda, Ecclesiam totam gubernandam afferre, nec audaciæ suæ & sanctorum munerum indignissimæ profanationis pœnam vllam pertimescere Iothani Leuitæ turpe in domino & patrono (vt appellãt) cõciliando exemplum ad imitandum assumi, Dauidis & Salomonis sacerdotes & Leuitas ad vrbes suas & oppida reuocantium; Apostolorum non nisi ad certas Ecclesias ordinantium negligi, & quas nuper dixi, nefarias prærogatiuas in Ecclesia permitti, an exigui momenti ac leuia quædam & tolerabilia errata esse videntur? Mihi certè, ac puto etiam reliquis, qui rem omnem ad Dei verbũ tanquam artificis trutinã examinarint, nihil istorum leue aut exiguum, sed omnia planè πλημμελήματα quædam videntur esse, & tanquam maiestatis crimine maiorib. iudicijs tanquam decernenda.

Quare ne falso periculosę innouationis nomine, & specie quadam nouitatis sacram hanc de reformanda disciplinã

doctrinam in odium atque in inuidiam vocemus: sed sublatis iniquissimis legibus, immunitatibus, vel (vt ita loquar) indulgentijs, tandem aliquando quem Ecclesiæ suæ regendę modum atque disciplinam Dominus per Apostolos & legatos suos instituit, iamdiu amissam reuocemus. Legitimæ & omnium qui publicum aliquem in Ecclesia locũ occupant, communis creationis & ordinationis ratione descripta, ad eius partes & tanquam membra descendamus.

Sunt autẽ duo præcipuè in quib. iusta munerũ istorum mãdãdorũ ratio consistit: electio, & quæ proprio nomine dicitur ordinatio. Est aũt electio viri idonei ad munus aliquod Ecclesiasticum in Ecclesia gerẽdum per senatum, reliqua tota Ecclesia approbante, designatio. Hanc autem electionem ad omnem legitimã Ecclesiastici muneris impositionem necessariò requiri, vel ex eo satis manifestè patere potest, quod Paul. eam cum probatione & examinatione coniungat, & Timoth diligenter admonet, ne indignis manus imponat, sed ijs tantùm qui iusto examine habito delecti sunt. Idẽ & ex perpetuo Apostolorũ vsu

cõfirmatur, qui Episcopos ad docendũ, & Diaconos ad ærarium administrandũ Ecclesiæ iudicio & autoritate cõstituerunt. Non enim, vt olim sub lege, certã domũ aliquam atq; familiam Christus elegit, in qua perpetua Ecclesiæ procuratio permaneret. Nullũ ille successionis, generis, sanguinis ius, non hæreditarium ministerium constituit: sed libera Ecclesiæ suæ iudicia esse voluit, & Ecclesiastica munera dignitate mandari. De electione autem constituenda (quæ tam ex re Ecclesiæ est, vt nisi ipsa stante, Ecclesia ipsa diu stare posse non videatur) noster anxiè seruator & solicitè laborauit, & articulatim atq; distinctè omnia quæ ad eam constituendã pertinerent, explicauit. Nam & quib. eligẽdi potestas esset, & ad quos potissimũ hæc cura pertineret, quid in singulis eligendis tenendum sequendumque esset, accuratè ac diligenter commonstrauit.

Quanquam autem hæc de electionib. quæstio variè ab eruditis viris disputata sit, tamẽ in eo fere pleriq; omnes cõsentiunt, plures ad eligendum adhibendos esse, nec tantas & tam graues procu

rationes atque ad totius Ecclesiæ summum & singulare vel commodũ vel detrimentum pertinentes, vnius autoritate, sed multorum iudicijs atq; adeò consensione omnium deferendas. Atq; hæc est omnium, qui vnquam peritè & scienter in hac causa disputarunt, vna & communis sententia. A qua etiam credo neminem præter Papistas abhorrere, & qui illis in ea autoritate successerunt, quam ipsi sibi iniquissimè & non sine aperta iniuria atque tyrannide vsurparunt. Neque enim Episcopi, qui sibi hanc potestatem assumunt, & αὐτοκρατορικῷ quodam Imperio & suis solis iudicijs atq; sententijs Ecclesiæ ministros deligunt atq; designant, vllo diuino iure id sibi assumunt: sed tyrannidẽ quandam, ab antiquis quidem temporibus in Ecclesiam inuectam exercent. Quod ne videamur sine causa dixisse, & reos indicta causa condemnasse, ostendant nobis per quos & quo tandem iure, hæc tam immensa & infinita potestas ad illos deuenerit. Si Apostolis se hæreditario quodam iure successisse, & ab illis hæreditatem hanc accepisse affirment,

vt

vt primum illis cõcedamus, ſecundum apertiſsimis teſtimonijs & ipſorum Apoſtolorum exemplis refellimus. Videamus enim an Apoſtoli hanc ſibi poteſtatem vllis Eccleſię comitijs vendicarint.

Tria ferè Apoſtolica comitia à Luca recenſentur. Prima, Actor. 1. quum nouus Apoſtolus eligitur. Secunda 6. quũ Diaconi. Tertia 14. quum Presbyteri in ſingulis Eccleſijs conſtituũtur. Quanquam enim Apoſtoli Matthiam nõ elegerint, ſed ſorti, nõ (vt inquit ille) τύχῃ πασὶ, ſed diuini conſilij indici reliquerint (quod hoc in illorum officio peculiare eſſet, ne ab hominib. neq; per homines, ſed immediate & ἀμέσως ab ipſo Deo deſignaretur) tamen in duobus ſtatuendis ſpecies quædam electionis eſt. Sed quid eſt quod in hac tota actione vel Iacobus (quem Epiſcopum Hieroſolymitanũ eſſe quidam volunt) vel Petrus vel omnino quiſquam Apoſtolorũ ſibi aſſumat? De Iacobo quanquam interfuiſſe Lucas narret, præfuiſſe tamen, & ſibi poteſtatem Apoſtolum Epiſcopali ſua autoritate deſignandi, aut duos illos quorum alterum ſors oſtenderet,

non legimus: ac contrà quidem nihilo plus quam Andream, aut Philippum aut vnum è reliquis vendicasse. Petrus quidem tanquam princeps senatus rem omnem proponit, refert ad Ecclesiam de eligendo Apostolo, qualem eligere oporteat, & quid in eligendo sequi deceat, diligenter exponit. Sed in eligendo nulla peculiari autoritate sua vsum esse, verbū ἐπισκοπὴν quod illo loco est apud Lucā, manifestè declarat. Quare his solennibus & primis Apostolorum comitijs nihil gestum, actum dictúmue est, vnde hæc tam infinita potentia ad Episcopos deriuetur: quin contrà potius, quā nihil sibi assumat Iacobus, nihil Petrus, nihil reliquorum quisquam, ac ne omnes quidē Apostoli simul hic pro sua autoritate quicquam agant, aut quem illi vellent præcipuè deligant: Episcopum, qui se quouis Apostolo aut etiam omnibus Apostolis maiorem esse velit dicere, iure vllam ciusmodi potestatem in Ecclesiæ muneribus mandandis, arrogare non posse.

Sed hæc comitia propter electionem Matthiæ & grauitatem summi mu-

neris

neris atque officij, ad quod delectus est, singulare aliquid habuerint. Proxima videamus. Illa sunt Diaconorum, vt à Luca Act. 6. recensentur. In quib. tãtum abest, vt Petrus, aut Iacobus, aut quisquam alius Apostolorum sibi quicquam in eis eligendis autoritatis præter cæteros arrogarit, vt contrà, nihil nisi ex communi omnium sententia & consensu gestũ sit. Nam & à duodecim conuocatam professorum multitudinem, relatum de eligendis Diaconis, electione peracta preces conceptas, & manus impositas fuisse Lucas disertè cõmemorat. Quanquam enim omnes non conuocarint, nec de electione retulerint, aut preces conceperint: tamen tam expressa loquendi formula, τὸ πλῆθος conuocasse discipulos, & voces pluralis numeri quibus vbique in hac narratione vtitur, manifestè probant, nihil hîc priuato cuiusquã non modò mandato, sed ne consilio quidem: sed contra, nihil communi omnium sententia & autoritate gestũ esse. Ergo his secundis, & eum propter omnes Apostolos tum etiam discipulorum multitudinem maximè so-

lennibus, & tanquam curiatis aut centuriatis comitijs, repulsam iterum patiuntur: neque infinitam hanc & penè dictatoriam in ecclesia potestatẽ, quam ambiunt, obtinuerunt.

Postrema sunt Presbyterorum Acto. 14. quæ non ab omnibus, sed Paulo tantum & Barnaba habentur. In quibus etsi Paulus & Barnabas totam actionem regerent, tamen nullo suo Imperio, nulla autoritate vsos esse in eligendis designandisq; Ecclesiarum Presbyteris, vna vox χειροτονήσαντες manifestè ostendit. Ergo huius autoritatis hæreditas ab Apostolis ad Episcopos non peruenit, quorum comitia ab hoc αὐτοκρατορικῷ & regio Imperio alienissima fuisse ostendimus. Sic enim à Christo edocti erant, in suo regno nihil esse simile huius mundi Imperijs: in quibus alicui summa autoritas deferatur, cui reliqui pareant, & quem dominum suum appellent: ab eo neminem maximum, aut reliquis maiorem, & id genus honoris nomina constituta: se solum regem esse, cui omnes parerent: illis inter se pari & æquali iure viuendum esse.

Sed

Sed ab Apoſtolis ab Euangeliſtas cõ fugiunt, & quam ab illis gratiam obtinere non potuerunt, ab his ſe conſequi poſſe confidunt Ad Timoth. ergo & Titum poteſtatis huius initium referunt, quorum vnum Epheſi alterum in Creta Epiſcopum fuiſſe contendunt, & Timotheo (inquiunt) mandatur ne cui citò manus imponeret: & fruſtra mandaretur, niſi miniſtrorũ delectus penes Epiſcopum eſſet: & Tito, vt Presbyteros in ſingulis oppidis conſtitueret. At verò, inquam, quis Timotheum Epheſi Epiſcopum probarit? Neque enim illam ὑπόγραφήν, πρὸς Τιμόθεον τῆς Ἐφεσίων ἐκκλησίας πρῶτον ἐπίσκοπον χειροτονηθέντα, incerto autore atque adeò non magnæ fidei (quæ etiam ad finem prioris Epiſtolæ non adhibetur) oppoſuerit apertiſsimis Scripturæ teſtimonijs, quæ Timotheum nõ Epiſcopũ, ſed Euangeliſtam fuiſſe pronunciant. Sic enim diſertè eum Paulus ſecunda extrema nominat. Ac tota quidem hiſtoria conuincit eum Epheſi manere diu non potuiſſe, qui Paulum tot Eccleſias peragrantem ſequutus eſt, qui illi miniſtrauit, quẽ ſequutus eſt, quem

Act. cap. 17. 18. 19. 20.
Act. 19. 22.
Act. 20. 4.
Epiſt. 2. 3. 11. 16. 27.

Paulus afflictionum suarum testem multis locis fuisse, quem aliquando Ephesum misit, quum in Macedoniam nimirum proficisceretur: aliquaudo Corinthum, testans illum opus Domini agere sicut seipsum: vt ad Romanos scribens, συνεργὸν suũ appellat, tanquam cõmuni opera in Ecclesijs constituendis laborarent. Ac tandem, ne quis locus subterfugio esse posset, in hac ipsa Epistola in extrema, in qua Episcopus nominatur, Epheso Romam vsq3 accersit: quod certè nunquam fecisset, si Episcopus Ephesi constitutus fuisset, aut ex illis Presbyteris fuisset quos Paulus Act. 20. ad perpetuas vigilias & excubias adhortatur. Et Paulus eum à se monitum esse vt maneret Ephesi (Epist. prima, cap. ver 3.) non ibi Episcopum ordinasse, affirmat. Similiter & de Tito respõderi potest, nõ dicere Apostolum, se illum Cretensium Ecclesiarum Episcopũ ordinasse, sed tantùm reliquisse in Creta, tantundẽ nimirum, dum quæ Paul. auocatus, ipse non posset, eius loco cõstitueret, & presbyteros in singulis vrbib. ordinaret. Quod ex eo ꝓbatur quòd illis reb. constitutis Nicopo-

copolim ad se venire iubet. Alibi etiam Tit. in Dalmatiam profectũ fuisse scribit. Vt satis constet Tit nullius certi loci aut Ecclesiæ curam habuisse. Quũ autem Titus & Tim. Euangelistæ (vt satis opinor, confirmatũ est) nõ Episcopi fuerint, quomodo pro Episcopis facit q̃ ex eorũ exẽplis illis cõcessum fuisse apparet? Neq3 n. puto fore vt se cũ Euangelistis comparent, & pari cũ illis potestate esse affirmẽt. Quod si facerẽt, facile refelli possent: vt postea suo loco attingemus. 1. Tim. 4. 10.

Sed ponamus hæc ita esse, & Timotheum Ephesinũ Episcopũ fuisse: & quę cunq3 illis licuisse constiterit, Episcopis quoq3 liberaliter largiamur. Videamus iam quid Timotheo Apostolus concesserit. Nimirum, inquiunt, vt pro autoritate sua deligat qui publica in Ecclesia munera exercerent. Videamus hoc quale sit. Ac primum quidem notandũ est, malè ab illis ad electionem transferri, quod non ad delectum sed ad ordinationem pertineat. Manuũ enim impositio non in eligendo, sed in ordinando solebat adhiberi. Tum (vt hoc quoq3 illis concedamus, notari electionem ordinatio-

dinationis adiuncto) tamen nullo loco facilius licet tyrannidem hanc & Episcopalem atque regiam autoritatem, quàm hoc ipso quem pro se afferunt, refutare. Quod vt clarius elucescat, falsam quandam huius loci interpretationem, quam afferunt, refellere primum oportet: vt eos post ex vero & germano huius sensu coarguamus. Hic (aiunt) monetur Timotheus ne cui citò manus imponat, nec alienis peccatis communicet, eorum nimirum qui quum indigni sint, ad ministeriū aspirant. Parum hæc aut Apostoli verbis aut ipsis etiam temporib. apta & cohærens oratio est. An enim iam hinc ambitum in Ecclesiam irrepsisse fatebūtur, & (quam hodie rationem sequuntur) Episcopū adibant, vt ab eo sacros (vt appellant) ordines & manuum impositionem consequerentur? Aliter enim quod hoc aliorum peccatum est, quo Timotheum monet Paulus, ne seipsum contaminet? quod hoc peccatum est, ministerio Ecclesiastico obeundo non esse idoneum, nisi quum indignitatis tuæ conscius sis, cupias tamen id suscipere quod sine magno scelere

lere sustinere non possis? At verò quis tam turpem ambitionem illis temporibus in Ecclesia viguisse dixerit, quæ multis post annis Romę nata est & educata? Quod si verò tùm labes illa Ecclesiam infecisset, annon Paulus eam diserte oppugnasset, qui Episcopum ab omni reprehensione liberum esse voluit: & diligentissimè cauit ne vlla ratione superbiret & intumesceret?

Ergo hoc leuius est quàm vt admitti possit, & longe alia huius loci sententia est. Nimirum quum Paulus multo antè prouideret fore vt ex ipsis Ephesinis Presbyteris graues lupi exorirétur, qui gregi non parcerent: neque dubium esset, quin quum presbyteris æquali iure Ecclesiam regẽdi, & alios in eum ordinem cooptãdi potestas esset, qui tales essent sui similes in Presbyterium allecturi, & manus impositione probaturi: monet Timotheum nequid temere sic committat, néue siquid tale accidat, quamuis alij rem omnem approbent, ipse tamen eorum autoritate ad eam approbandam adducatur: & si alios à tali consilio monitis suis deterrere non posset,

seipsum

seipsum tamen innocentem conseruet, (sic enim addit ἁμφατικῶς, σεαυτὸν ἁγνὸν τήρει) nec aliorum peccatis communicet. Atq; hæc vera & genuina huius loci sententia est: ex qua probatur non modò nullam regiam autoritatem permissam esse ab Apostolo: (tum enim non monuisset eum Apostolus vt seipsum purum custodiret, sed vt iure suo iniquæ rogationi intercederet, & reliquorum iudicia sua autoritate rescinderet,) sed contrà, ita pari iure eum reliquis fuisse, vt ne si indignum quidem aliqua ex parte elegissent, reijcere pro sua potestate liceret: ac nihilo plus hac quidem in re quàm cæteros omnes potuisse, tantumque suiipsius potestatē fuisse, ne immaturis aut indignis iudicijs suffragaretur.

Non est ergo cur Timotheo ambitionis huius atq; tyrannidis causam imponant. De Tito videamus. Cui quòd mandatū esse dicunt vt Presbyteros per singulas vrbes constitueret, verè quidem affirmant: sed Paulum his verbis Tito plus permittere quàm aut ipse aut Barnabas aut quàm reliqui omnes Apostoli vsurpassent, nemo (opinor) sanus existima-

istimauit. Quod Iudæi communi sermone prouerbium iactare solēt רין לעבר לחירות באורגן quod Christus ipse approbauit, quum discipulum diceret nō esse supra magistrum, cui satis superq; esse deberet, si magistrum adæquaret. Quid autem & reliqui Apostoli & Paul. ipse fecerit, antè ostendi. Nec verisimile est aliter Titū in singulis vrbibus, quàm Paulum in singulis Ecclesijs ordinasse: præsertim quum Paul. expressis verbis admoneat, vt ita constituat, sicut ea de re mandata ab illo accepisset. Quod nō video cur non tam ad vniuersam ordinationis rationē qàum ad ea quæ sequuntur referendū sit. Quare, vt tandem omnem hanc disputationem cōcludamus, Euangelistæ nō magis huic causæ fauēt quàm ipsi Apostoli, nec vllum eorū vel minimum dictum factúmue est, quo tyrannis ista approbatur. Veros ergo parentes suos agnoscāt, & fateantur quod res est, Romæ hoc malum natum esse, quod postea se vnà cum Imperio in omnes ferè terræ partes propagauit.

Sed adhuc tota de Ecclesiasticorum munerum electoribus quæstio expedita non

non est. Quanquam enim ex Dei verbo concluserimus, penes vnum hanc potestatem esse sine tyrannide non posse, tamen nouæ hic lites nouaq3 iudicia oriuntur: & an omnibus æquali potestate hæc authoritas permittenda sit, an verò delectis quibusdam viris, & sacrum ministerium in Ecclesia exercentibus. Mihi verò & sacræ Scripturæ iudicium, quantum assequi possum, & Ecclesiarũ antiquissimarum exemplũ considerãti, Dei voluntati maximè consentaneũ esse videtur, vt senatus iste qui ordinariam in omnibus rebus gerendis in Ecclesia potestatem habet (& quos propterea Apostolus ἡγουμένους & προϊσταμένους appellat, & Ecclesiam vt illis pareat atque obtemperet adhortatur) populo in hoc negotio præsit, in eligendo præeat & sua prudentia atque autoritate reliquæ Ecclesię suffragia dirigat. Neq3 hic obligarchicum aliquid constituimus, & tyrannicam potestatem mutata tantùm persona in Ecclesia retinemus. Nam reliquæ Ecclesiæ iudicium contemni nolumus, aut etiam negligi, vt ignaræ senatus pro autoritate sua imponat

Heb. 13. 7. 17. Thess. 1. 5. 11.

ponat quem velit: sed præeunte senatu populũ etiam subsequi, qui promulgata eius sententia, acclamatione vel silentio eam approbet, si probanda videatur vel eidem (si minus recta sit) contradicat. Nec id tantùm: sed si iusta causa improbandi illis iudicij afferatur, improbent atque rescindant, vt tandem idoneus, senatus autoritate atque suffragijs delectus, omnium applausu atque consensione, approbetur. Vt hic iniqua illa querela sit, paucorum dominatu constituto, Ecclesiæ maiestatem violari.

Illud quidem aliter Act. 6. & 14. factum esse legimus, & populi in eligendo summam potestatem extitisse: sed id (vt mihi quidẽ videtur) certa quadã de causa, quæ nos ita non attingit, nec ad ordinariam & perpetuam Ecclesiæ gubernationem referri debet. Vt enim in Rebuspublicis nõ tantùm in populi, sed optimatũ vel etiam vnius Imperio atque principatu constituendo, antequam constituatur, omne Imperium penes populũ est, qui sponte sua sibi magistratus delegit, quorum autoritate postea gubernetur: posteaque non vniuersa plebs

sed à plebe delecti magistratus Reipu-
blicæ negotia administrant: ita in Ec-
clesia constituenda, quum nulli adhuc
præficerentur, omnis autoritas penes
omnes erat: sed delectis semel ab om-
nibus, certis viris, quibus gubernacu-
la Ecclesiæ tradantur, non amplius hæc
potestas penes omnes est, sed eos tãtum
qui delecti sunt, vt gubernacula Eccle-
siæ tractarent, atq3 regerent. In Diaco-
norũ autem electione alia præterea cer
ta causa fuit, cur illos ab vniuersa Eccle
sia eligi oporteret. Quum enim Græci
cõtra Heb. murmurarent & iniquè secũ
agi quererẽtur, quòd in ea distributio-
ne quæ ad pauperum subsidia quotidie
partiebatur, viduarum suarum nõ satis
magna ratio haberetur, necesse erat ad
eos eligendos cui hæc cura cõmitten-
da fuit, omnium iudicium adhibere, vt
omnis querelarum & suspicionũ occa-
sio tolleretur. Quare quod semel in Ec-
clesia nondũ constituta, certis de causis
à populo factum est, ad perpetuã & con
stantem Ecclesiæ regendæ rationẽ refer
re nihil attinet. Quanquam & hac ipsa
electione Apost, sibi summam autorita-

tem

tem, populi iudicia approbandi, vel improbandi, & manus imponēdi reseruarunt. Quæ licet ipsis Apostolorum temporibus, illis approbātibus, ad ordinarium Presbyteriū & Ecclesiasticum senatum translata sit, vt postea suo loco apparebit, cur etiam eligendi potestatem & examinandi, cæteraq; peragendi qua ad delectum pertinent, ad ipsos simul etiam translata esse existimemus?

Quare Ecclesiæ ius suum & libertatem seruantes, ne quid illa nō modo inuita aut non conscia, sed ne quid ea non consentiente aut non approbante fiat, ex Dei verbo & Apostolorum exemplis statuamus. Sed & senatus quoq; dignitatem Apostolicam tueamur, vt populo in eligendo præeat, eligēdos probet, de eorū dignitate iudicet, & quos idoneos iudicarit, Ecclesiæ significet: vt omniū voce approbati confirmentur. Ita enim optime totum Ecclesiæ corpus continetur, quum singula membra atq; partes suis muneribus atq; officijs perfungātur: vt oculi videant, & in rectam viam dirigant, reliquæ autem partes facilè sese dirigi & in viam duci patiantur. Sena-

tus autē in delectibus, vt in omni actio-
ne atque administratione Ecclesiastica,
reliquam Ecclesiam instar oculorum du
cit & dirigit, ne aut ignorantia aut cu-
piditatum suarū cæcitate prolabatur.
Vnde (vt diximus) προϊστάμενοι, προεστῶτες,
προεστῶτες appellantur. Atque quomodo
tandem rectè populus de varietate do-
norum spiritus iudicabit, vt hunc gu-
bernationi, illum doctrinæ, alium Eccle
siastico thesauro distribuendo præfici-
at? Vt enim varia hæc officia sunt, ita
ad ea rectè obeunda varijs etiam Spiri-
tus sancti donis instrui oportet eos qui
eliguntur: vt in singulorum muneribus
tractandis fusius dicemus. De hac autē
varietate donorum, quæ quibus reb. ge-
rendis tanquam nata sunt, atque à Deo
ipso formata atq; destinata, non est cu-
iusuis iudicare, præsertim hac ætate &
his temporibus, quibus omnia ita cor-
rupta & deprauata sunt, vt plurimi
huic vitę indulgentes, περὶ τῶν πνευματικῶν
(quorum tamen neminem Apostolus
voluit ignarum esse) nō sunt admodum
solliciti, atque in alijs muneribus de di-
gnis vt indignis iudicare multi possent:

quo-

quotuſquiſq; qui miniſtrum probè examinare poſſet, eius dona cognoſcere, quæ illius pietas, quæ doctrina, quæ ædificandæ Eccleſiæ facultas explorare? Quod ſi verò omnes ita θεοδίδακτοι eſſent, vt hæc ſcire iudicareq; poſſent, tum demum nihil opus eſſet certis delectiſq; viris, qui ſua ſpirituali quadam prudentia popularia iudicia dirigerent: nullus indigni & ad Eccleſiam ædificãdam inepti eligendi metus eſſet, nullum confuſionis aut turbarum periculum.

Hæc illa nimirum eſſent tantopere ab iſtis celebrata συμφόρητα δεῖπνα, & laudatæ ſæpius ἐράνοις: quas ſi nobis pararent atque inſtruerent, tantum abeſt vt imitati non accumberemus, vt talis hoſpitis officium illuſtri gratia accipientes, magna cum voluptate tam exquiſitis delicijs frueremur, & omnibus Syracuſanis menſis, atq; adeo illi ſolis menſæ (de qua eſt apud Herodotum) anteponeremus. Sed quum iſta nobis optanda potius quàm ſperanda & expectanda ſint, illũ quem dixi ordinem Apoſtolorum inſtitutis maximè conuenientem, ad ædificationẽ, quæ diſcipli-

næ ſumma lex eſſe debet, aptiſsimum, à confuſione atque turbis remotiſsimũ teneamus: vt Eccleſiaſticus ſenatus Eccleſiæ, quum opus ſit, de idoneis viris in ſingulis muneribus proſpiciat, eos diligenter ac ſtudioſè pertentet, eligat, electionem promulget, & ab omnibus demum approbatos ſua autoritate confirmet. Sed longius fortaſſe quàm neceſſe fuit hac in parte prouectus ſum, quum ſumma illa populi in eligendo poteſtas perpetuò in Eccleſia ſeruari poſsit, ac diu etiam ſteterit: nos verò dominatu atq; tyrannide exerceamur: quæ vt ſalua Eccleſia (quam iamdudũ penè euertit) diu ſtare poſsit, non intelligo: vt mature occurendũ ſit, ne ſerò occidentis Eccleſiæ caſum lugeamus. Electionẽ verò omnẽ legitimam iuſta quædã probatio atq; examinatio dignitatis antecedit. Quod enim Apoſt. ad Tim. de Diaconis præcipit, vt primùm examinentur, deinde verò, ſi nihil ſit q̃ requiri poſsit, ad Diaconiam ꝓcurationemq; ſuam admittantur: id latius patet, & ad omne munus Eccleſiaſticum referendũ eſt. Nõ minus enim Paul. rationẽ examinandi

Epi-

Episcopi quàm Diaconi pſequutus est. Examinationis aũt idem ſcopus atque finis est in omnibus, nimirũ ne cui inepto aut non ſatis idoneo procuratio aliqua deferatur. Qua ratione fieret vt & eccleſia neceſſarijs ſuis ſubſidijs atq; adiumentis deſtitueretur, & ſacra munera profanarentur. Eccleſia ergo neminẽm debet eligere, niſi quem antè à Deo quaſi deſignatum eſſe ſciant. De illius enim domo adminiſtrãda agitur, cuius claues nefas est cuiquam tradere, niſi cui filiusfamilias, magnus ille domus Dauidi cæ œconomus, ſuper cuius humerũ claues illas ipſe paterfamilias impoſuerit, committendas & credendas eſſe iudicauit. A Deo autem nemo vnquam ad officium aliquod delectus est, qui nõ ſimul idoneis ad bene gerendũ donis imbueretur. Aliter enim quomodo geſti magiſtratus rationẽ ab eo repoſceret, quem ille bene gerendo parem non eſſe intelligeret, ſuſcipere tamen & obire coegiſſet? Nemo ergo à Deo in aliquam prouinciam ſuam non ſatis inſtructus emittitur, ſed pro ratione muneris atq; oneris q̃ imponit, vires etiã ad ſuſtinen

dum ſubminiſtrat. Atque hinc illa eſt tam crebrò in libro Iudicum repetita ſententia, Superuenit in eum Spiritus Domini, & iudicauit Iſraëlem.

Ac multa quidem in Veteri teſtamento exempla reperiuntur, de Moſe, Iehoſua, de Prophetis Eſaia, Heremia, & infinitis fere alijs. Quos quum Dominus ad aliquam Eccleſiæ ſuæ partem adhibere vellet, idoneis ſimul ad eam bene gerendam donis informauit. Ac in Nouo etiam teſtamento ipſe ſeruator noſter non aliter ad mediatoris munus ob eundum acceſsit, quàm accepto Spiritu ſancto, quo ad omnes partes illius bene gerendi & pro dignitate perfungendi inſtrueretur. Sic enim diſertè de illo prædixit Eſaias, Spiritus Domini ſuper me: propterea vnxit me, ad euangelizandum pauperibus miſit me, &c. Ex quo loco videmus prius acceptum Spiritum quàm legationem iniunctam, & oleum atque aliptam adhibitum, quàm in arenam atque certamen immitteretur. Eadem ratione Apoſtoli, quamuis ab ipſo ſeruatore, præceptore omnium diuiniſsimo, ad trienniū & amplius e-

doc-

docti fuissent, & ipsum quoque Spiritū aliquatenus illo aspirante accepissent: tamen quia magnum illis certamen decertandum fuit, & multi labores atque pericula subeunda, monet ne temere & imparatè in arenā descendant: sed promissionē patris & vberiora adhuc Spiritus sancti dona expectare iubet. Sic enim legimus apud Lucam cap. 24. 49. Ecce ego mitto super vos promissionem Patris mei. Vos ergo considete in vrbe Hierusalem, donec virtutem ex alto indueritis. Huc etiam pertinent ordinationis seu consecrationis in vtroq3 testamento ceremoniæ. Quid enim aliud ostendit illa sacerdotum, regum & Prophetarum vnctio, nisi dona illa quibus inuncti ad officia sua obeunda à Spiritu sancto donarentur? Huc etiam & manuum impositio in nouo fœdere referenda est, quæ Dei manum prius impositam, & digna muneribus suis dona collata esse ostenderet.

Sed quid tam solicitè hac in parte laboramus? Annon hoc ipsa naturæ ratio & communis vitæ vsus nos satis docet, quum alij exercitui, alij vrbi præficiun-

ciuntur? Ac in vrbe quidem prætor eligitur, qui de iure respondere possit: senatores, quos præclaram & difficilem illam regendæ Reipublicæ scientiam, multa cum doctrina, tum etiam longa ætas & diligens animaduersio, atq; vsus ipse & experiẽtia erudiuit. Annon (inquam) quotidianæ vitæ ratio nos docere debuit, ne indignis honores nostros & officia mandaremus? Quo magis turpissimi errati nostri hac in parte nos pudere debet, qui etiam ad grauissimũ munus sacri ministerij indignissimos quosq; patimur accedere, & cuiuis sordidiori artifici è taberna sua prosiliẽti, aratori relicta stiua, philosophastris & grãmaticastris, nihilo magis diuinarũ rerum peritis quàm artificibus & agricolis, denique tibicinibus, citharœdis, dominorum famulis atque assectis, bubulcis, opilionibus, baiulis, quin etiam aliquando nõ modò indoctis, sed & contaminatæ vitæ hominib. Ecclesiæ fores aperimus, ac promiscue fere & sine discrimine doctos, indoctos, probos, improbos, dignos, indignos, ad Ecclesiæ grauissimũ munus adhibemus. Quod qua ratio-

ratione fiat postea videbimus. Hic tantùm, quia examinationis vsus est, ne indigni ad Ecclesiam capessendam accedant, generaliter notate volui quã grauiter hac in parte & contra expressum Dei verbum offenderemus, & Dei nomine, qui impunè sanctissimum institutum suum violare, & Ecclesiæ, cuius summo periculo atq; discrimine hæc quotidie fiũt, rogare atq; obtestari eos quib. hęc corrigendi potestas est, ne cũ Ieroboamo cũ infimis & indignissimis quibusq; sacrosancti muneris dignitatem puulgemus, sacrosanct. Dei institutũ & examinationis vsum negligamus, perdamus ecclesiã & colluuiem omnẽ in eam inducamus. Quin potius vt ex dei verbo statuentes, ne indignis Ecclesiastica munera mandẽtur, tales cum deinceps arceamus, tùm verò eos qui errore hominũ & falsa quadam cõmendatione in Ecclesiam irrepserunt, addicent atq; abiudicent, & munerib. suis abire cõpellant.

Sed (vt redeamus vnde digressi sumus) examinãdi rationẽ persequamur, & eam, quatenus ad omnẽ Ecclesię ꝓcurationẽ attinet, explicemus. Vt enim cuiusque

iuſq; officij ſua quædam dona ſunt, quæ ad illud obeundum neceſſariò requiran tur: ita quædam in omni Eccleſiaſtico munere deſiderantur. Atque illa (vt ex Paulo obſeruauimus) duo fere ſunt. Quorum primum eſt, vt in fide ſani ac ſinceri ſint: ſecundum vt in vita atque moribus ἀνεπίλημπτοι. De religione autem in Epiſcopis (qui eiuſdem Doctores ſunt atque interpretes) requirenda nō eſt neceſſe dicere. Ac de Diaconis quidem diſertè hoc Timotheum ſuū Paulus admonet, vt tales ſint qui fidei myſte riūm quaſi reconditum habeant (quod etiam poſt eodē capite ἀνοσιότητας μυστήριον appellat, & deſcribit quale ſit) in pura conſcientia. Et omnes Apoſtoli Ieroſolymitanam Eccleſiam ſimiliter admonent, vt ex ſeipſis Diaconos ſeptem eligant. De fide autem quid ſentire oporteat, non eſt huius loci dicere: qui locus ampliſsimus eſt, & ſuam propriam tractationem deſiderat. Tamen & ſatis notus ab omnibus, & illo Pauli loco quem ſuprà citaui, breuiter comprehēſus. De illa autem verè de Deo ſentiendi, & illum ritè colendi ratione quid ſentiant,

non

non est difficile cognoscere: quum eandem cum Ecclesia cui se adiungant, profiteantur: & (si opus sit) de singulis rebus interrogati, de iudicio suo respondere possint. Quanquam non tantùm hic vulgaris aliqua religionis cognitio atq; zelus, sed supra alios singularis quę dam requiritur. Nescio enim quomodo vel minima in Ecclesia Dei procuratio nos ex reliquorum hominum numero eximit, & Deo quasi propius adiungens altiore gradu collocatis, legem imponit prælucendi alijs, & exemplo suo ad omnem laudem atq; pietatem incitandi. Itaque Apostoli cum de Diacon iseligendis ageretur, viros Spiritu sancto & sapientia plenos requirunt. Morum autem examen ita accuratè & diligenter Apostolus persequutus est, vt nullo hic errore falli liceat, quum videndum monet ne auaritiæ, aut ebrietatis, aut alicuius denique criminis turpior. scelere, quod cum infamia coniunctũ est, laborent, sed bonæ famæ atque existimationis sint apud omnes, & ij quibus vitæ honestè actæ testimonium præbere possint. Quin & illud videndum est, quo-

1. Tim. 3. 3. 8.

Act. 6. 3.

quomodo liberos suos suos educarint, & priuatam familiam rexerint. Ex eo enim multa attentis & diligentibus hominibus notari posse & animaduerti an publicæ curationi suscipiendæ sustinēdæque idonei futuri sunt. Qui enim nauiculam euerterit, quomodo quinqueremes aut illam Argonautarum nauem in medio mari gubernabit?

Atque hæc est illa diuina lex qua de Ecclesiasticis curatorib. diligenter atque accuratè probandis atque examinandis Deus ipse Ecclesiæ suæ tulit, & obseruandam tenēdamq; in omne tempus mandauit: in qua nimirum religiosè colenda eius dignitas atq; salus cōtineretur, quū & ad vsum necessaria adiumenta haberet, & ad dignitatem ornamenta, quibus & omnis maledicendi occasio ab iniquis suis (qui ad illam semper leuissima de causa traducendā parati sunt) tolleretur, & Dei nomen apud omnes etiā exteros illustre & glorioſum redderetur. Ergo ne Dei nomē & sacrosanctum eius Euangelium per nos malè audiat, ne Ecclesia necessarijs eius conseruandæ adiumētis destituatur, magna

cura

cura adhibenda est quib. illius regendæ administrandæq3 cura cõmitti debeat.

Huius autem probationis atque examinis forma, quum tam accuratè ab Apostolo præscripta sit, mirum est quomodo tã multi & in doctrina corrupti, & in vita atq3 morib. inquinati passim ferè apud nos reperiantur. Quàm multi enim hodie Papistæ vel post decimum quintum reformatæ religionis annum, ministrorum locum in Ecclesia occupant, partim in ijs Ecclesijs relicti quas antè sub Papatu iniusta possessione detinebant, partim etiã ab Euangelij prædicatione & nostris temporib. ingressi? Quàm multi etiam inquinatissimæ vitæ homines, atque perditissimis moribus ad gubernacula admissi?

Quare quum apertè pfiteantur Papistæ grauiter se offendi, neq; adduci posse vt eam veram Dei religionem esse existimẽt, cuius tã inhonesti præcones sint, & tam maculosi (vt ita dicã) interpretes: quid est quòd nõnulli conqueruntur, ex hac causa, quam de reformanda Ecclesia nostra vrgemus, cũ alia mala infinita tum hoc in primis natũ esse, q̃ Papistæ

hac

hac contentione noſtra offenſi, longiùs ab Euangelio amplectendo abalienantur. Quid enim eſt quod eorũ ſaluté magis promouere poſsit, quàm ſi tollantur illa quibus offenſi repellũtur? Huius verò turpitudinis vt multæ cauſæ ſunt, ita illa mihi ſemper omnium maxima atque grauiſsima viſa eſt, quòd relicta hac tam accurata probandi examinandique ratione, quam hac in re nobis tenendam ſequendamque Dominus præſcripſerit, tantum vmbram eius & imaginem neſcio quam, qualem nimirum à Papiſtis accepimus, retinemus. Quo vno errore admiſſo hominum cõmenta pro certis Dei inſtitutis imitandi, poſtea infiniti (vt fieri ſolet) cõſequuntur, per quos honeſtiſsimum ordinem indigniſsmè profanari, eccleſiã, tanquã Papiſtarum aſyla atque perfugia, omnib. cuiuſq3 generis ſordibus atque maculis refertam eſſe, & Euangelium inimicorum ſuorum maledictis obnoxium fieri neceſſe ſit. Nam quum certis hominib. poteſtas cõcedatur, vt ſinguli bis in anno quos quotq3 velint, Eccleſiæ præficiant, & ad harũ ordinationum vel ordinum

dinum (vt appellant) designata ab illis tempora tanta semper vndique petitorum multitudo confluat: quomodo ab vno homine, vno die, tot candidati, plerique ferè omnes ignoti, examinari probariq; possunt? quomodo, quid aut de religione sentiant, aut quàm honestè vixerint, explorare? Nam quòd scripto coguntur religioni nostræ assentiri (quam assensionem, subscriptionem appellamus) parũ valet apud eos qui artis esse putant simulare, qui indulgeri sibi, quiduis perdendæ Ecclesiæ causa facere, quibus persuasit Euripides Iurare lingua, mentem iniuratam gerere.

Neque verò pro inhonestis iustior illa excusatio habenda est, quam ex aliorum testimonijs, quæ plerunque à candidatis solent afferri, petere consueuerunt, quum disertè Apostolus Timotheum admonuerit ne aliorum iudicijs atque sententijs inducatur, vt festinantius manus alicui imponat: sed si alij id temere cõmiserint, ipse se liberũ ab omni huiusmodi culpa custodiret. Quanquam quæ sit horum testimoniorum religio, omnes intelligunt, dum quidam

gratia propinquos aut affines suos, & alios quibus autoritate sua gratificari volunt, literis suis Episcopis commendant: alij etiam auaritia inducti, & spe prædæ diuidundæ cum ijs qui fructum aliquem sua opera atque gratia consequentur. Satis enim superque notæ sunt multorum sordes, eorum dico ad quos fructuũ qui ex ministerio pendent conferendorum (quæ beneficia appellant) potestas putatur pertinere. Qui vt rem suam augeant, paciscuntur quicum possint minimò: nonnunquam etiam si seruum domi habeant qui legere possit (quòd facilius cũ eo transigatur, parato nimirum fructuum suorum maiorem partẽ domino cedere, vt illius commendatione atq3 autoritate sordidiores operas suas cum honestiore aliqua & liberaliore conditione cõmutet) Episcopo commendant: qui hac cõmendatione fretus, vel negligẽtia vel sæpe etiam studio magnis viris gratificandi non difficulter admittat. Ecclesiasticorum ergo curatorum census habendus est: & a grauissimo ordine, qui reliquis speciamen esse deberet, omne probrũ amouen amo-

dum. Quo facto deinceps statuendū, vt singulorū iusta quædam & legitima cū religionis tum etiam probitatis examinatio omnem electionem antecedat, & Domini nostri instituta hac de re tam accuratè tradita persequamur, quibus persequendis aliæ Ecclesiæ & hodie viuunt, & iamdiu floruerunt. Atq; hæc de electione: ad ordinationem veniamus.

Est autem ordinatio electi ad munus suum ἀφορισμὸς atq; separatio, vel in munus suum quasi inuestitura quædam atque inauguratio. Post designationem enim, quæ electione fit, ratio quædā atque ceremoniæ adhibentur, quib. designatus, tanquam possessionem muneris sui accipiat. Hæc autē ordinatio quam appellamus, in duab. fere ceremonijs, precibus nimirū & manuū impositione, consistit: sub quib. etiam & muneris explicationē cōplector. Hac enim (manuum scilicet impositione) simplicissima ceremonia Euangelium contentum est ministros suos quasi inuestiri: nec illam tam solicitā ac curiosam Legis in consecrandis suis Leuitis atque sacerdotibus desiderat. Ac de precibus quidem

apertè narrat Lucas, quũ Paulus & Barnabas ad opus Domini à Spiritu sancto separari iuberentur, preces pro illis à fratribus factas fuisse, antequam ad legationem suam obeundam emitterentur. Similiter & pro Diaconis quos populus elegerat, preces ab Apostolis concepta sunt, vt Deus nouæ quæsturæ creationem suæ gloriæ & Ecclesiæ commodo faustam atque felicem esse vellet, designatos idoneis donis instrueret, & ad sua munera pro dignitate obeunda informaret. Neque enim dubium est quin Apostoli ad Ecclesiæ tempora preces suas accommodarint, & vt antè in electione Matthiæ, ita nunc in ordinatione Diaconorum pro ratione negotij quod gereretur, preces conceperint.

Altera verò ceremonia est manuum super caput electi inter precandum impositio. Sic enim videtur, tanquam precationum quoddam adiunctum, solita adhiberi, vt electum coram Deo sistendo, & illi tanquam offerendo, preces Ecclesiæ ardentius & vehementius inflammarentur. Atque in hunc finem vsurpari solitam, cum ex reliquis locis fere omnibus

nibus quibus eius mentio fit in sacris literis, tum ex Matth. 19. constat. Vbi narrat Matth. pueros ad Christũ adductos vt manus illis imponeret, & precaretur. Sicut etiam ex eo Act. loco quem citaui, quo narratur Apostolos precantes manus imposuisse Diaconis, qui ab Ecclesia eligebantur. Sed hic generalis ferè vsus est.

Alij præterea huius ceremoniæ vsus in designatis inaugurandis proprij magis & peculiares sunt: quorum prior ad electum, posterior ad totam Ecclesiam pertinet. Designatus autem hac cerẽmonia monebatur, se ad opus Domini separari (vt patet ex Acto. 13. 3.) & è reliquo populo ad illam procurationem, Dei ipsius manu quasi decerpi atq; delibari: vt iam non amplius se sui iuris esse sciret, vt agat quod velit, sed à Deo ad opus suum adhibitum, cuius illum perfecti atq; absoluti remuneratorem, contempti autem & neglecti vltorem atque vindicem habiturus esset. Sic Timoth. Paulus cum ad omnes officij sui partes diligenter excitaret, huius impositionis meminit, atque monet, ne eã

prouinciã negligat, quam per impoſitionem manuũ presbyterij ad prophetandum accepiſſet. Præterea etiã & alter huius ceremoniæ vſus eſt, qui ad confirmãdum deſignatum pertinet, vt manum illam ſemper paratã fore intelligat ad onus ſubleuandum atq; ſuſtinendum, quæ impoſuit: vt Deo muneris ſui autore fretus, conſtantius obiret, nullis periculis aut timore perterritus. Secundus verò huius vſus eſt, qui ad Eccleſiam ſpectat, vt quum autoritatem hanc à Deo ſpectam, & ab eo ſibi propoſitã eſſe cernerent, tutores & curatores ſuos agnoſcere & reuereri diſcerent, atq; eorum voci parere atq; obedire in ijs quæ ad ſuum officium pertinerent.

Atq; hic impoſitionis manuum, quæ ad ordinandos Eccleſiæ miniſtros adhibetur, legitimus vſus eſt. Quo relicto Papiſtæ, & qui ab illis ineptè tradita nullo iudicio retinemus, aliam quandam eamque non in ordinandis Eccleſię miniſtris adhibitam, ſed in conferendis Spiritus ſancti donis, omnibus qui crederent, & baptizarentur, non ordinariam illam atque conſtantis & perpetui

vſus

vſus in Eccleſia, ſed ad tempus & extra ordinem adhibitam, vſurpamus. Quia enim Apoſtoli quũ Spiritum ſanctũ, id eſt varia atq3 multiplicia illa dona Spiritus, tanquam Dei œconomi religionẽ amplexis diſtribuerent, manuũ ſignum hoc & quaſi ſacramentũ vſurparũt, prę-clari iſti imitatores ceſſante illa poteſtate ſpiritus dona conferendi, ſignũ tenuerunt: & impoſitis ſacerdotibus ſuis manibus, iubent accipere Spiritũ ſanctum: quem nemo confert, ac ne poſsit quidem cõferre, niſi extra ordinem hoc fiat: quum hoc proprium illorũ temporum & Apoſtolorũ ferè fuerit. Neq3 cogitant longè aliã hanc eſſe ceremoniã, quàm illa fuerat, qua ad ordinandos Eccleſię miniſtros vtebãtur. Hoc.n. ad omnes fideles, illis quidẽ tẽporibus, illa ad miniſtros tantùm conſignandos adhibebatur. Hæc quũ illis Spiritus ſancti donis, quæ tum extra ordinẽ conferebantur, coniungebatur: illa nõ itẽ: vt ex his locis quæ citãtur de Paulo & Barnaba, itemq; de Diaconis manifeſtè conſtare poteſt. Ac Paulũ antè quidem illis donis ţinctum & imbutum fuiſſe ex eo appa-

Acto. 8. 19. 6.

Acto. 9. 15. 20.

ret, quòd antè Christus illi de cœlo apparuerat, & in illustre quoddã vas in Euangelio suo in omnes partes ferendo formauerat, vt statim in Synagogis concionaretur, & Christum filium Dei annunciaret. De Barnaba verò apertè testatur Lucas, eum Spiritu sancto (qua voce illa dona spiritus intelligo) & fide plenum fuisse, vt hæc manuum impositio non nouorum donorum collatio, sed (vt ipse Spiritus sanctus loquitur) ἀφορισμὸς ac separatio, & quasi sanctificatio quædam ad maius opus moliendum, & grauiorem maioris laboris atque molestiæ prouinciam subeundam.

Quod autem ad Diaconos attinet, legimus Apostolos, quũ de illis eligendis ageretur, monuisse, vt viros Spiritu sancto & sapientia plenos eligerẽt. Vt mihi dubium non sit, & significasse eos, vt ex ijs qui singulari illa donorum varietate ornabantur deligerent, & Ecclesiam id sequutam, ex ijs (quales 3000. fuisse Lucas antè meminerat) Diaconos designasse. Ergo quòd Episcopus in Ecclesiasticis ministris ordinandis manus illis imponens, Spiritum sanctum

Act. 2. 41.

iubet

ſubet accipere, nullã Apoſtolici alicuius facti imaginem aut vmbram habet: ſed Papiſticus quidam ritus eſt, ſtultè quidẽ ab illis & ſine vllo ſcripturæ fundamento inſtitutus, imitatione quadã non eius quod erat, ſed quod illis eſſe videbatur, & à diſciplinæ noſtræ autorib. (pace illorũ dixerim) non magno primùm iudicio acceptus, minore adhuc in Eccleſia noſtra retinetur.

Supereſt adhuc vnum in ordinationis quæſtione explicandum, ad quos potiſſimum ordinandi ius autoritaſque pertineat. Locus non tam expeditu difficilis quàm ille de electione ſuperius à nobis tractatus: quum nulla neque ab vniuerſis ordinatio facta in tota ſacra ſcriptura reperiatur, nec mandatũ præceptúmue vllũ, quo vel populus vel Epiſcopi huius poteſtatis ius ad ſe putant pertinere. Nam quòd Epiſcopi Pauli illud ad Timoth. Ne cui citò, &c. nobis obijciunt, ſatis (vt opinor) antè reſponſum eſt, & explicatum quàm illis verbis Timotheo nihil ſupra cæteros permiſſum ſit, tantúmque illum fuiſſe monitũ, vt ipſe ſibi caueret, ne ab alijs ſe abduci pa-

ci patcretur, aut posse putaret vllum factum suum temere cómissum aliorum exemplo & autoritate excusari. Contrà verò in omnibus ordinationib. à pluribus manus impositas, & Ecclesiastici senatus autoritate omne hoc negotium peractum esse, vbiq; legimus. Sic enim Act. 13. 1. Paulū & Barnabā doctores & Prophetæ Antiocheni ordinarunt. Similiter & Diaconis ab Ecclesia designatis Act. 6. 6. duodecim Apostoli manus imponebant. Et nequid dubitemus ad q potissimū ex ordinarijs Ecclesiæ muneribꝫ. hæc potestas ab illis relicta sit, Paul. Timotheo manus à presbyterio impositas fuisse scribit. Cuius tam ampli patrimonij ab Apostolis relicti Episcopus (qualis à Paulo ad Tim. 1. 3. & ad Tit. 1. informatur) cohæres quidem est, & Apostolis ex aliqua parte succedit: (vt fusius postea dicemus, quū de senatus Ecclesiastici autoritate disputabitur) sed ex asse hæredem esse nullo vnquam aut testamenti iure aut testatorum voluntate confirmabunt: nec sine iniquissima fraude & aperta vi atq; tyrannide aliorum ab illis possessio depascitur.

Quare

Quare quum (vt ad hunc vsq3 locum disputaui) multa atq3 grauissimè in disciplina nostra peccemus, sanctissimas Dei leges de regno suo moderādo in publicas Apostolorū tabulas relatas violemus, hominū cōmenta & seruorū voluntates Christi regis mandatis præferamus, perdamus Ecclesiā, quā sanguine suo redemit, sancta ministeria profanemus, & omnia susq3 deq3 miscemus atq3 perturbemus: tandē aliquando de ijs reb. corrigendis seriò & solicitè cogitemus: quem voce regē agnoscimus, illius præceptis atq3 legibus pareamus: Ecclesiam charam, & eius splendorem atque dignitatem cōmendatam habeamus. Disciplinā Ecclesię ad hominib. & iure Canonico arcessentes iniuriā Christo Prophetæ nostro regiq3 facimus, & scaturiginem quandam errorū in Ecclesia aperimus. Obstruamus puteos istos, ad diuini verbi fontes adeamus, subditi ex regis nostri voluntate pendeamus: & primū hoc atq3 grauissimū in disciplina reformāda caput sanciamus, nequid in ea præter eius vocem fiat, omniaq3 ad illius arbitrium conformentur. Ve-

tat

tat ille quenquam in Eccleſiam ingredi, publicam in ea perſonam in ſe ſuſcipere, aut publici muneris actionem aliquam obire, niſi qui ab eo ad eam vocatus delectuſque ſit. Et huius legis violatores grauiſsimè multauit, qui ſpreto mandato ſuo, extra limites ſuos egreſſi, quib. circumſcripti eſſent, in alienas poſſeſsiones ingredi, & impuris manib. ſacra miniſteria profanare auſi ſunt. Videamus nequid tale ſit inter nos: & Papiſticos ſacerdotes, mulieres clàm baptizãtes, Cancellarios, Archidiaconos & eorum famulos, Commiſſarios, Officiales, & reliquas quiſquilias diſciplinæ adminiſtrationem ſibi arrogantes facceſſere tandem à nobis iubeamus, & res ſuas agere, atque pati hæc ab illis geri qui legitimo Dei inſtituto ad illa obeũda vocati ſunt.

Iuſtæ creationis magnus vſus eſt, ne illius ampliſsimum fructum ambitione ac largitione amitti patiamur. Certam prouinciam adminiſtrandam legatis ſuis deſignauit, & quibus munus aliquod iniunxit, ſimul, & apud quos illud obiri geríue vellet, conſtituit. Cur ergo

tam

tam multi apud nos errarent, & incertis sedibus vagarentur? Cur liberas vllas legationes concedimus, & officium committimus? Cur vnà non indicimus apud quos illud geri exercerique volumus? Præsertim quum vaga illa & indefinita munera infinita sæpe mala consequantur. Munus autem alicui committitur, designatur vrbs, locus Ecclesiæ in quo illud exerceat, faciat diligenter & suscepit: & nisi sponte sua fecerit, magistratus autoritate errorem suum corrigat, aut officio suo abire cogatur. Illas verò prærogatiuas & immunitates, quę eas redimere volentes ab hac necessitate liberant, tanquam ab ipso Antichristo primum profectas aboleamus: & ex Dei verbo statuamus, vt cui procuratio aliqua Ecclesiæ delata sit, illi diligenter & solicitè incumbat, tanquam qui Deo celebri die illo aduentus Christi rationem procurati muneris redditurus sit. In electionibus habendis vsurpata Episcoporum tyrannide sublata, & illa tota peruersitate quam descripsi, qua iusta probandi examinandique ratio impediatur, legitimis electorib. ius

suum

ſuum reddatur, diligens quædam & accurata religionis morumq; examinatio habeatur, munera dignitate mandẽtur: ne aut ſacra miniſteria profana fiant, aut Eccleſia neceſſarijs ſuis adiumentis atq; adminiculis deſtituta prolabatur. Deniq; ordinationis & impoſitionis manus verũ vſum reſtituamus: antiquemus ementitum atq; fictitium. ...tque hæc fere ſunt quæ in hac parte, quę omnium cõmunis eſt, ex Dei verbo corrigenda nobis emendandaq; ſunt.

Sequitur alia pars ſingulorum magis ſpecialis, quæ etiam mirum in modum cultura indiget: vt ad Eccleſiaſticorum munerũ diſtributionem, & quid quæq; tum alio cõmune, quid propriũ & peculiare habeat explicandũ veniamus. Omnes ergo ꝑpetuę & ordinariç in Eccleſia procurationes atq; munera duob. ferè Epiſcoporũ & Diaconorũ nominib. in ſacra Scriptura cõprehendi ſolẽt. Quanquam.n. ipſa vocabula non ita accuratè obſeruentur (vt nec neceſſe fuit) tamen huius partitionis ſumma vbiq; retinetur. Paulus Apoſt. in priore ad Timotheum, diſcipulũ ſuũ de cõſtituenda Ephe-

ſina

ſina Eccleſia pro Euãgeliſtæ officio, quo Timotheus fungebatur, inſtituens, omnem publicam Eccleſiæ curationẽ Epiſcopis & Diaconis comprehendit. Atq; idem Paulus ſcribens ad Philippenſes (apud quos conſtituta iam & legitimè deſcripta erat Eccleſia) Paul. inquit (& quæ ſequũtur) ſanctis qui ſunt Philippis cũ Epiſcopis & Diaconis. Quo loco ſanctorum nomine fideles, & tanq; ciues & ipſum quaſi corpꝰ Eccleſię ſignificãs, gubernatores & eos quib. publica aliqua in Eccleſia ꝓcuratio cõmiſſa erat, ſub Epiſcopis & Diaconis cõplexus eſt. Paulo aliter ad Rom. 12. eod. tamen ſenſu, Eccleſiaſtica munera diuidit in prophetiam: q; eorũ munus eſt quos duobus ſuperiorib. locis Epiſcopos appellauit: & Diaconiã. Quæ diſtributio etiam à Petro, prioris Epiſtolæ c. 4. retinetur: niſi quòd Diaconi nomẽ retinens, prophetiam ſermonem appellat.

Hæc ergo legitima Eccleſiaſticarum functionum diſtibutio eſt ab ipſis ſummis Apoſtolis in has partes diſtributa. Vnde manifeſtè cõſtat, in integra & rectè conſtituta Dei Eccleſia, vtrãq; tanquam

quam in corpore dextram ſiniſtramq̃ partem eſſe, ac neutram ſine magna totius corporis deformitate deeſſe poſſe. Vt contrà, nullum munus, nullum officium procuratio[illegible]ue, locum in Eccleſia habere oportet, quæ non alterutrius iſtarum partium quaſi membrum quoddam ſit, & inſeparabili quadã coniunctione cum reliquo corpore cohæreat. Ad quam formam Apoſtolicam, ſi Romanam Eccleſiam exegerimus, illam dico à prima hac ſimplicitate defectricẽ, & multiformis beſtiæ (vt à Io-
Apoc 13.15. han. deſcribitur) expreſſam imaginem & imitatricẽ, quæ ſe ad Romani Imperij formam & figuram finxit atq3 efformauit: (vt à Clemẽte aliud agente deſcribitur) quàm hic diuina quadãchirurgia opus eſſet, vt totam partium non neceſſariarum, & ſuperuacanearum curationum redundantiam auferamus? quas hic ſtrumas, quos næuos curari & amputari reſcindique opus eſſet? Sed nec minor in defectu earum partium quæ naturales & neceſſariæ ſunt, deformitas apparet: quum in Romana Eccleſia, alteram fere totam partem, &

vni-

vniuersum genus illud Diaconorum requiramus. Quare vtraque tam insigni deformitate vtinam & Ecclesia nostra non laboraret, nec quicquam esset in illis Ecclesijs, quas aliarum matres esse dicimus, quod illam membrorum atq3 partium redundantiã imitaretur. Nam in altera illa defectus deformitate ne ab ipsis quidẽ Papistis superamur. Diaconorum enim totum genus in vtraque æquè deest. Quod postea planius, quum de Diaconis agetur, apparebit. Nunc singulorũ munera speciatim persequamur. Ac primum quidem dicamus de Episcopo. Episcopi autẽ nomen à Græca voce ἐπισκοπῆς deductum, speculatorem aut vigilẽ significat, qui castris custodiendis, aut ad vrbis vigilias, ad hostium aduentum denunciandũ designatus est. Quod nomen etsi aliquando magistratib. etiam tribuatur, propter summam curam & solicitudinem quam de populo sibi subdito habere debent, sæpius tamen & magis proprie maioribus in Ecclesia munerib. solet attribui, & quæ tanquam ciuitatis Dei vigiliæ sunt: quæ eam non à ferro atq3 incen-

dijs tueantur, quæ homines inferre poſſint, ſed ab illis æternis ignib. & telis (vt loquitur Apoſtolus) πεπυρωμένοις, quibus atrociſsimi hoſtes & potentiſsimi ſpiritus vrbem hanc inflāmare atq; incēdere dies noctesq; moliuntur. Sed quum ex ijs quidā ſanctiore quaſi ſacramento ad perpetuas vigilias teneantur, quib. nimirum ſacræ illæ argenteæ tubæ ad hoſtium aduentum omnib. denunciandum commiſſæ ſunt, his propriè & præcipuè (vt prioris ad Tim. 3. ad Tit. 1. & alijs locis) Epiſcoporum nomē attribuitur: vt olim Epiſcopus laboris, non quietis, oneris magis quàm honoris, & negotij non otij nomen fuerit. Eſt autē Epiſcopus, ſi verè illū definire volumus, miniſter Eccleſiæ in reb. diuinis, & ad Deum pertinentib. Sic enim placet imitari illam Apoſtoli ad Hebræos ſacerdotis definiendi prudentiam, quum in rerum diuinarum actione atq; adminiſtratione, Epiſcopi in nouo fœdere ſacerdotibus Legis ſucceſſerint. Quòd autem re diuina facienda Epiſcoporum munus terminamus, hoc eodem Apoſtoli loco nititur, qui nihil aliud tribuit ſacerdotibus,

Heb. 5. 1.

tibus, quorum officium nihilo angustius est quam Episcoporum, quod ad rem attinet: atque adeo quibusdam in rebus, pro natura atque ratione illorum temporum, speciem formamq; forensem habebat ampliorem. Atque sic Timothei (quamuis Euangelistæ) munus Paulus domus Dei gubernatione & administratione definiuit. Et Apostolus ad Heb. animarum procuratione τῶν ἀγρυπνούντων curam complexus est. 1. Tim. 3. 15. Heb. 13. 17.

Quod verò amplius aut locupletius hac de re testimoniū requiramus, quàm ipsius Christi seruatoris regisque nostri, qui regni sui naturam penitus perspectam habebat, & certa ratione constituit ad quam rem quemq; adhibere vellet? Quàm sæpe autem ille regnum suū non esse ex hoc mundo prædicauit, alterius cuiusdā & diuinæ naturæ esse, atq; ad animas hominum procurandas pertinentis? In quo quum omnis legationis suæ summa & mandatorum quæ a Patre accepisset, consisteret, in eo se totū esse, id solū agere atq; meditari, alijs huius mundi rebus non immiscere, hoc dies noctesq; cogitare, & in eo uno se exerce-

re monere q3 Apoſtolos ne huius mundi ſplendorem & honores apud ſe conſequi poſſe confiderent: longè aliud huius regni ingenium atque indolem eſſe, regere affectus, perturbatis animi motibus dominari, moderari libidinibus, omnium hominū animos in officio continere, afflictos & cadentes excitare atque erigere, Dei gratia, clementia, bonitate, ægros & laborantes confirmare, à receptis erroribus quibus in omnem perniciem homines præcipitarētur, ad veram Dei colendi venerandiq́ue rationem traducere. Ad hæc ſe illorum opera vti velle, gregem ſuum, ouile ſuū, agnos ſuos cuſtodirent atq3 paſcerent: hoc illis curriculū, hunc puluerē, hanc vnam arenam eſſe in qua ſe exercerent. In ea ſi cum laude verſarētur, ἀμαράντινον (vt inquit Petrus) τὴν δόξης στέφανον expectarent.

Hoc ergo Epiſcoporum munus eſt, hoc officium. Quod non iam curioſius inquiram quàm fideliter noſtri obeant, quum nulli certo gregi addicti, ſed generali quadam cura contenti, ſe Epiſcopalis muneris defungendi neceſsitate libe-

liberarunt. Illud potius videamus rectè ne eorum munus religione & cerc monijs tractādis definitum sit. Vetus enim opinio est, & ab antiquis ducta temporibus, Episcopos non ita rei diuinæ faciendæ terminis circumscribi, quin etiam humana tractare possint, ac simul quidem Ecclesiam atq3 Rempublicam administrare. Hinc apud nos Episcopi pacis & otij communis cōseruandi autoritatem habent, & eius violatores in carcerem atque vincula conijciendi, testamentorū lites, & alias ciuilium cōtrouersias in suo foro audiendi, disceptandi indicādiq3 potestatem. Hinc ijsdem quibus principes in Republica honorum & dignitatum titulis insigniuntur: dum Archiepiscopi honorificentissimo & penè, ac potius quidē planè regio gratiæ titulo salutantur, alius nobilissimi & aurati (vt appellatur) equestris ordinis Episcopus, alius comes Palatinus, omnes magnifici Domini appellentur. Vnde & nonnulli cancellariatum regni, Eboracensis prouinciæ præfecturam, & similium munerum autoritatem, quibus non ita pridem funge-

bantur viris politicis omni dignitate præstantibus delatam esse, tanquam de illata iniuria conqueruntur.

Hæc ergo aut iniuste ab illis & sine ratione ac contra officium vsurpantur & exp[illegible]tũtur, aut malè à nobis Episcoporum munus diuinarum rerum procuratione definitũ est Quorum vtrum sit, diligenter exquiramus. Ac vetus quidem hoc & perantiquum esse, ex eo satis manifestè apparet, quòd vetustissimis etiam canonibus talis ambitio & πολυπραγμοσύνη prohibetur. Quin & veterum quorundã notæ graues hac de re querimoniæ in eorũ libris extant, partim in eos qui hanc confusionẽ induxerunt inuehentium, partim conquerentium, se illa ratione à suo proprioq; munere auocari. Quod & nostros nõnullos queri accepimus, & vnicam tantũ horã in tota septimana ad sacras cõmentationes integram, & eam quidẽ ab importunis cliẽtib. extortam profiteri. Quib. ac meritò quidẽ Terẽtianus ille Chremes miraretur tantũ otij esse à re suã, aliena vt curent. Verùm hoc q; iam ita auctum atq; amplificatum, intolerabile planè, atque illiq

illis ipsis non minus quàm Ecclesiæ periculosum est, olim (vt reliqua fere mala omnia) ab initijs non ita malis dimanauit. Primò enim totum negotium priuatum existimabatur, & litigantium consensu cõtrouersiæ ad Episcopos deferebantur, quorum conscientia freti optimum se suarum litium exitum consequuturos esse arbitrarentur. Post etiam creuit autoritate principũ, qui partim pro animo (sed non satis prudenti) & studio amplificandi Ecclesiam, partim etiam quòd ipsi bellis & forensibus negotijs impedirentur, permiserunt Episcopis autoritatem turbatores Ecclesiæ ciuili etiam ratione coërcendi. Tandem verò Episcoporum auaritia simul & ambitione ita in immensum creuit, vt omnem ferè politicorum hominum dignitatem partim peterent, partim oblatam libenter & cum illustri gratia acciperent: donec Ecclesiam cũ Republica commiscerent, res ciuiles cum Ecclesiasticis, regnum denique cũ Episcopatu confunderent. Verũ enim verò vt quę à Deo cõiuncta sunt, ab homine sẽparari nullo modo debent: ita nec ab eo

distincta atq; separata à nobis coniungi aut copulari posse existimemus. Atque si nefas sit mutare aut transferre terminos quos parētes nostri pepigerunt, quanto minus fines quibus nos Dominus circumscripsit, & ab alijs distingui voluit, commutare, & hac fraude possessiones nostras augere licet?

Magnum verò inter ciuilē magistratum & Ecclesiasticarum rerum curationes discrimē esse, illud satis abunde confirmat, quod quum vtraq; potestas primò in [illegible] confusa esset, Deus Republica Mosi rel[illegible]a, Ecclesiæ gubernationem ad Aaronem fratrem transtulit. Ac ita valde quidē inter vtrumq; distinxit, vt nec regnum non modò à summo sacerdote, sed ne ab aliquo quidem eiusdem familiæ, gentis, aut tribus, administrari posset: nec contrà, sacerdotium ab vllo regiæ sobolis atque generis, familiæ aut tribus, ac à nemine quidem nisi Leuita exerceri. Ita nō tantùm personis & subiectis, neque etiam familijs, sed totis etiam tribubus distinguebantur. Quæ distinctio atque discrimen ab omni posteritate diligenter obseruatū est:

est: donec Azarias rex superbia elatus (vt in sacra historia diserte notatur) vsurparet sacerdotiũ, & incensum in templo Dei adoleret: verùm nõ impunè tulit tantam superbiam, sed subitò lepra percussus, exemplo atq; documento in omne tempus extitit, vt à simili audacia confundendi ea quæ Dominus distinxit, caueamus. Sed sacerdos qui se regno administrando immisceret, nullus vnquam multis post seculis inuentus est: donec primus post reditum à Babylone Aristobulus, pessimo consilio, & contra expressum Dei verbum, regnũ cum sacerdotio, & tiaram cum diademate coniunxit. Nam quod Eliam, Samuelem, Danielem, vtrunq; munus obijsse legimus, extra ordinem factum est, & ad constantem atque perpetuam Ecclesiæ gubernationem trahi non debet. Quanquam & sub Lege multa petebantur à sacerdotibus, quę hodie ab Episcopis peti non possunt, & ad multa adhibebantur ad quæ Episcopos sub Euangelio adhiberi non oportet, propter legem politicam nimirum, cuius (quia à Deo non minus lata fuit, quàm mora-

lis) custodes & interpretes fuerunt. Vt ad multa tum eos adhibere necesse fuerit, ad quę nostri non possunt nec etiam debent.

In Euangelio verò quid horum discrimine clarius & illustrius esse potest? Quũ ipse seruator noster (cuius exemplo nos sapere oporteret) hæreditatis herciscundæ potestatem, tanquam à suo munere alienam, recusauerit, sæpeque Apostolorum suorũ talia appetentium cupiditatem grauiter repressérit, & diligenter crebris sermonibus totum istud καταχυριεύειν καὶ κατεξουσιάζειν vnà cum ipsis principum titulis, & εὐεργέτης similiumq; nominum appellationibus detestatus sit, libereq; professus foręses hos honores ab alijs quærendos esse, à se (vt qui in regno suo nihil haberet simile) non posse obtineri: à quo ad alia maiora quidem illa, etsi non ad speciem, ad veram tamen dignitatẽ ampliora vocati essent. Atq; hoc Apostoli non tantùm magisti præceptis atque voce sed post etiam experientia sua edocti sunt, hanc rei diuinæ ꝓcurationem, vt rectè geratur, cũ nulla alia quacunq;

posse

posse coniungi: vt etiam pauperũ curatione (quæ Ecclesiasticum munus est, & alteri ita cognatũ atq; affine, vt coniungi posse videretur) sponte sua abierint, & officium suum re diuina facienda terminarint. Quòd si verò ne pauperũ quidem & viduarum curandarũ solicitudine verbi Dei ministri distineri debeant, vt ab omni alia cogitatione liberi, totis viribus in eam curam incumberent; quanto minus rerum planè ciuiliũ cura & ad magistratus officiũ pertinentiũ à suo atque proprio officio auocari licet? Sic enim non tantùm ipse tibi impedimenta accersis, ne officium facere possis (contrà quàm aut boni milites aut periti athletæ solent) sed alteri etiam infers iniuriam, in cuius possessionem irrumpis. Quod quũ in ipsis Ecclesiasticis muneribus ambitionis & πολυπραγμοσύνης Apostolus ad Rom. c. 12. accuset, & (vbi diligenter nos auocans ab isto ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ad illam Christiano homine dignam modestiam, καὶ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν adhortatur) tanto magis eiusdem criminis tenebitur, si res tam sua natura distinctas permi-

Rom.13. Heb.5.1. Heb.13.17. permiſceat atq; confundat. Quis enim neſcit magiſtratus officium in ijs potiſſimum verſari quæ ad facultates noſtras & hanc vitam attinent? ceremonias nō attingere, niſi vt ab ijs à quibus & qua ratione ex Dei mandato oportet, administrari autoritate ſua prouideat, ipſe verò nihil adminiſtret? & Epiſcoporum munus rei diuinæ actione atq; animarum cura contineri, Rempublicā & huius vitæ ſtatum non procurare? illos de corpore & quæ ei accidunt, iſtos de animā & quæ animæ contingunt, eſſe ſolicitos? illos de fragili hac & caduca vita, iſtos de beata & perpetua laborare?

Quare quum ſub Lege Dominus ſacerdotium tanquam arborem aliquam iuxta vicinum magiſtratus fundū plantaturus, quum qualis huius arboris natura eſſet optimè cognoſceret (quòd nimirum tanquam ficus aut oliua radices ſuas propaget atque diffundat, aç propterea longius remouenda eſſet, nequa poſtea confuſio atq; contentio naſceretur) longiſsimo & pluſquam Solonis illo nouem pedū interuallo ab adiacente magiſtratus fundo diſtinxerit:

caueant

cauent diligenter pij magistratus & sa pientissimi Dei instituto admoniti, & Romani Imperij exemplo, nequid Episcopi sibi in sua possessione vendicent, nec occultè eas radices agant, vnde postea cogantur (quod multos Imperatores feciſſe legimus) de suo cum illis patrimonio litigare. Quũ verò Deus hoc suum institutũ in pij alioqui & illustris regis capite sanxerit atque vendicarit, cur non similem pœnam in simili Episcoporum culpa pertimescimus? Quum autem Christus ipse oblatum regnum aspernatus sit, & minimas res ciuiles, ne fratrum quidem conciliandorũ causa tractare voluerit: quum Apostoli ne eiusdem quidem generis aliud munus cum illo quod gerebant, coniungere, ne viduarum quidem pauperúmue curam voluerunt, vt ad suum officium integras vires afferre possent, & in eo προσκαρτερῆσι: quum hoc Christi regno conueniat, illud magis huius mundi Imperijs: quam tandem iustam ambitionis huius & τῶν λητουργιῶν excusationem afferent? Aut quid ita tumultuantur, cum eos è foro in Ecclesiam, è prætoris sella curuli &

Iudi-

iudicis tribunali, ad Mosis cathedram, è regno arque dominatu ad Episcopatum reuocemus.

Azariam sacerdotem in sacra historia legimus, Vzziam regem è sancto sanctorum, & merito quidem, eiecisse. Et Eusebius refert, Ambrosiũ, quũ Theodosius Imperator in superiorẽ templi partem ingredi vellet, vetuisse, quòd illam Episcoporum esse diceret, & iussisse infra cancellos considere. Quod non propterea cõmemoro, quasi superstitiosa & superba illa Episcoporum ab alijs sepimenta probem, sed vt immodico illorũ ad se rapiẽdi studio reges & magistratus ad iustã sui iuris tuendi solicitudinẽ erigã, atq; pari vt ratione illos claustris atque cancellis suis circumscribant, & intra fines atque repagula sua iubeant se continere, & suos quoque διάκτορας & κηχλίδας agnoscere. Quod si tum quu hęc pestis serpere cœpit, diligenter prouidissent, certè Ecclesiasticorum hominũ ambitio nunquam in hanc incredibilem superbiã euasisset, quò progressam fuisse videmus: vt de vtriusq; status potestate, & duplici (vt aiunt) gladio, tripli-

plici corona, calcatis Imperatoribus & regib. sibi ad ascendendum equum seruientibus gloriari possit. Verum quum non prouiderent, neque curarent, mortuis Apostolis, qui vt olim Heros ille Gedeon in Israële illicitum regnũ atq; dominatum non appetiuerunt, eorumque germanis liberis nihil huiusmodi cupientibus, tandem spurius ille Abimelechus exortus est, qui nefandum regnum ambiret, & simul patrem se regemque nominaret. Sed expectandum est, vt huic tyrãno similis exitus eademque ruina, quæ olim Abimelecho, contingat. Nam in huius etiam παραβολὴν, illam Iothani parabolã, quasi oraculum quoddam pronunciatũ esse existimo, sperandumq; omnino esse, quemadmodum Imperium ab eo labefactatũ ac penè extinctum est, per quod ille infinitam hanc suam potentiam & plusq; regnum obtinuit: ita aliquando fore, vt ille rursus ab Imperio deleatur.

Verum vtinam solus ille Romanus carduus regnum hoc atq; dominatum appetiuisset, neque etiam oliuæ nostræ, ficus, vineæ, pinguedinem & suauita-

tem

tem ſuam atq; fructus præſtantiſsimos, regnandi dominandiq́ue cupiditate reliquiſſent. Vere enim prædicatio Euangelij ſuauiſsimus quidam & incundiſsimus fructus eſt. Hoc eorum muſto non tantum homines ſed & Deus ipſe lætabatur, vt & illo Euangelij oleo quouis balſamo pretioſiore, & ſuauioris odoris eo quod in caput Aaronis infundebatur. Hunc enim dominatum etiam ab Epiſcopis noſtris occupatum eſſe conquerimur: & præſtantiſsimos fructus illos, vinū illud, ficus & oliuas illas, quas olim Eccleſia ab Epiſcopis ſuis colligere & percipere ſolebat, vehementer deſideramus. Ac vereor equidē ne fruſtrā deſideremus, néue alia quadam iam diuitiarum & honoris pinguedinę atque ſuauitate capti, illam priſtinā negligere & aſpernari cœperint, & porro negle cturi ſint, ἀλλὰ ταῦτα μὲν θεῷ μέλει, qui Eccleſiæ ſuæ pro bona voluntate, aut per illos, ſi ad originem ſuam & radices redire voluerint, aut etiā, ſi pergant aſpernari, ſine illis ꝓuidebit. Sed longius fortaſsis hac in parte rei indignitate & Eccleſiæ periculo cōmoti prouecti ſumus;

Nunc

Nunc quum satis (vt opinor) probatum sit, Episcopi officium recte rei diuinæ administratione definitũ esse, specialius officij huius partes ꝑsequamur. Illę verò partim in docendo vel verbum Dei interpretando, partim in precibus pro Ecclesia concipiendis consistunt. Hæc enim ita inter se coniuncta sunt, vt à se inuicem discerpi nullo modo debeant. Qui enim Ecclesiã docendi curam accipit, eidem & precandi pro Ecclesia munus imponitur: & contrà, precandi munus & solennes preces illas palàm & publicè ex officij sui ratione pro Ecclesia fundendi, nemini mandari aut debet aut potest, nisi cui etiam Ecclesiam docendi potestas fiat. Semper enim hæc duo in eodem ita coniuncta fuisse legimus, vt qui vnum pro officio suo ageret ad vtrumq3 præstandum teneretur: neque vnquam hæc discerpta à se inuicem & distincta fuerunt. Ita sacerdotes sub Lege ad vtrumq3 præstandum tenebantur: quòd & diserte Moses, quum Leuiticæ tribui benediceret, explicauit. Docebunt, inquit, Iacobũ iura tua, & Israëlem legem tuam. Apponent incensum

ad nares tuas,& holocausta super altare tuum offerent. Thure enim & incenso adolendo preces & orationes adumbrari,cum ex alijs locis, tum etiam ex Dauide, qui proculdubio ad hunc morem alludit,& Lucæ 1. vers.10.vbi patet vniuersam Ecclesiam hoc intellexisse. Quò etiam Iohannes in Apocal. respicit. Similiter & Propheta Samuel, populo petenti vt pro se apud Deum precaretur,respondens, Absit (inquit) vt Deo peccē cessando precari pro vobis: quia etiam docebo vos viam bonam & planam:vtrumq3 eiusdem officij esse significans. Ita in duob.summis Iudaicæ Ecclesiæ muneribus,sacerdote,& Propheta (quib. Episcopi nostri respondent, si Pastores cum sacerdotibus, Doctores cum Prophetis contulerimus) docendi precandique officia coniungebantur. Psal.141.2.

Quid in Euangelio Apostoli? Relicta cura pauperibus ministrandi, quum se id facere profiterentur, vt suo officio liberius vacare possent, officium suum duab.partibus, sermone annunciādo & habendis precibus complexi sunt. Paulus etiam ad Timot.precandi officium mani-

manifestè ad Episcopatū refert, quum præcepta de cōstituenda Ephesina Ecclesia tradens, publicarum precū ratione descripta, postea qualē Episcopum esse oporteat, copiosè explicat. Quare quum hæc vnius & eiusdē muneris officia esse ex perpetuo Scripturæ vsu constat, discerpi & separari à se inuicem nullo modo patiamur, omninoq; quod res est illegitimū diuortiū esse fateamur quum ministri nostri (istos dico curiones) qui quū ad docendum inepti sint, in ministerium tamen ea lege inaugurantur, vt liturgiam suam atque conceptas preces de libro recitēt, docere autem & interpretari ne audeant, nisi noua & speciali ea de re potestate concessa. At Scripturæ interpretandæ non sunt idonei. Id si ita est, probè quidem ex Dei instituto ab interpretatione arcentur. Sed illud malè, quòd non etiam à precib. habendis excludantur: & quòd precandi docendiq; officia (quæ eiusdem muneris sunt) contra Dei institutum discerpuntur atque distrahuntur, & nouum ab humana audacia pfectum, & mutilum quoddā ministeriū in Ecclesi-

am inducitur. Sic ergo descripto vniuerso Episcoporum munere atque officio, ad ea quæ propria sunt eorum electionis ordinationisque veniamus.

Electio ergo Episcoporum (vt inde ordiamur) quia illa ferè actione Ecclesiæ salus periclitatur, cum vehementissimis apud Deum precib. coniungi debet: vt eligentium iudicia Spiritu suo sancto dirigat, Ecclesiæ suæ de idoneo Episcopo prouideat, nec tam periculoso errore falli atq; labi cœca aliqua cupiditate abductos patiatur. Huc enim ducit nos cũ illa ratio quam attuli, tum verò in primis ipsius Christi seruatoris exemplum: quem Lucas cap. 6. 12. 13. narrat, totam noctem quæ Apostolorũ designationem præcesserat, in precibus & oratione cõsumpsisse. Quod etiam postea ipsos Apostolos in Matth. electione sequutos cap. 1. ab eodem Luca in Actis memoratur. Cuius rei necessariã quandam instaurationem esse omnes intelligunt, qui electionum nostrarum longè aliter susceptarũ atq; institutarum successum & euentus animaduerterint. Sed non opus erit, vt spero, in re tam clara

anxiè

anxiè laborare: pergamus verò porrò, & qualem Episcopum eligi oporteat, ostendamus. Ex ijs autem quæ dixi, satis manifestè apparet in Episcopo eligendo præcipuam curam doctrinæ habendam esse, quum ad docendum & verbum Dei alijs interpretandū eligatur. Quanquam etiam morum non vulgaris atque communis, sed singularis quædā examinatio haberi debet: quorum nimirum vel leuissima quæq3 errata, propter eminentiam loci in quo sunt, abscondi aut celari nullo modo possunt: quum verbi Dei ministri (vt Apostolos suos Dominus admonuit) tanquam vrbes quædam sint in summis montibus constitutæ. Itaque cum illis in hominū oculis & clarissima luce habitandum sit, & (vt eodē loco seruator noster subiungit) quasi super candelabra quædā, vt alijs luceant, imponantur: tanquam lumina quædam eorū sanctitatem, pietatem, & in omni vita moderationem elucere oportet. Vnde Paulus Apostolus per Timotheum legitimū verbi ministrum informans, ita esse debere comparatum docet, vt reliquis fidelibus in

charitate, castitate & vniuersa vitæ ratione specimen quoddam & exemplar sit. Ac meritò quidem ei qui ab alijs rationem vitæ reposcit, lex innocētiæ indicitur: quum nihil æquius sit quàm vt qui alios doceat, ipse se primū erudiat: & alios à turpitudine auocans, seipsum ab omni pollutione integrum purumq; custodiat. Quam turpe enim est, quum alijs tanquam laborantibus succurrere volenti, dici ab ægrotis possit, Medice cura teipsum? aut quum illa obijciuntur quæ Paulus Iudæis obijcit. Qui alium doces, teipsum nō doces: & qui non furandum esse prædicas, ipse furaris? &, Nomen Dei per vos in gentib. blasphematur? Ergo quum tam alto dignitatis loco constituantur, vt vel eorum integritatis exempla Ecclesiam nō solùm ædificent, sed etiam in Dei ipsius honorem quodāmodo redundēt: contrà vero, delicta atq; crimina externis, de Deo qué prædicant, & Euangelio q̄ annunciant, malè loquendi occasionem: fidelib. autē infirmis, à quib. minima quęq; eorū errata tanq̄ lex quædam peccandi & similiter delinquēdi existimatur, nec exem-

ple

plo minus atq; adeò magis, quàm pec cato ipso noceant: magna atq; diligens & singularis quædam cura de Episcopi eligendi morib. atq; vita adhibēda est.

Sed quū in eo præcipuè Episcoporū munus atq; officiū versetur, vt Euangelium vniuersum annuncient, prædicent interpretentur, illa in primis quæ eius officij ad quod gerendum eligendus est, peculiaria atq; propria dona sint, spectare oportet: vt quàm bene in sacris literis versatus sit, & an cum Ecclesia, quæ rectè intelligit: vtiliter atq; ad eius ædificationem fructuosè communicare possit. Nam quū hîc de Ecclesia regenda gubernandaq; agatur, non imperitus aliquis aut indoctus ad hæc gubernacula adhibendus est: nisi non solùm periclitari nauē volumus, sed in certum discrimē incurrere. Ecclesiā verò quam Deus suo sanguine redemit, vt nos sibi in filios adoptaret, & hanc tot Heroum & tanquam Argonautarū nauem cuiquā nisi Typhi aut Palinuro, peritoue & experto alicui gubernatori committerere, cuius esset, nisi in Ecclesiæ interitum & filiorum Dei salutem conspi-

rantis? Typhes igitur & Palinuri atque Vlysses ad hæc gubernacula tractāda eligendi sunt, qui cœli vultus & varietates agnoscant, procellas tempestatesq; prospiciant, qui ad cœlestē Cynosuram nauem dirigant, denique quos cœlestes musæ maris istius itinera docuerunt, & illa quæ sunt apud Poëtam, Κάπνου καὶ κύματος ἐκτὸς ἔεργε νῆα. Verbum autem Dei sola huius vitæ Cynosura est: ad hoc cœlum illi & has stellas oculi conuertendi sunt, è quib. multò certius quàm ex his alijs tempestates prospiciuntur. Hæc sunt huius vitæ gubernacula: quæ nisi regere & tractare didicerit, ad alia quædam opera adhibeatur, ad clauū ne accedat: & si accesserit, moueatur. Meritò enim ab artifice scientiā eius artis quā profitetur, requirimus: vt ab Imperatore, rei militaris cognitionem: à prætore & iudice, vt de iure respondeat: à medico, tuendæ valetudinis & morborum curandorum rationem.

Et sub Lege quidem Dominus sacerdotes suos ita instituit, vt tales essent qui de iure diuino interrogati respondere possent, qui non tantùm tiara, sed

præ-

pretiosis illis duodecim gemmis & lapillis (quos Vrim & Thumim Moses ob insignem splendorem & perfectam pulchritudinem appellat) ornabantur, per quos Deum de omni negotio consulebant. Quo nomine etiam aliquando totum sacerdotium designatur: vt intelligamus eum nihil habere, qui illas non habeat, nec sacerdotium sine Vrim & Thumim esse posse. Quibus quum Episcopi (quod ad hanc rem attinet) successerunt, etsi Aaronis tunica, ephodo, diademate inducrentur, tamen nisi in pectore eluceant illæ gemmæ, per quas rerum nostrarum dubij (vt ait Ennius) ex incertis certi simus, ne res temerè tractemus turbidas: Aaronis genus, successionem & reliqua vestimenta non agnoscimus. Atq; quum hodie nullam aliam rationem præter expressum Dei verbum & sacras Scripturas habeamus, qua de voluntate fiamus certiores, omnibusque illis veteris institutionis ceremonijs, Arcæ, sanctuario, pectorali, verbum hoc successisse manifestum sit: vt illa olim in sacerdotibus, sic hodie huius intelligentia atque cognitio à reli-

gionis interpretibus & verbi ministris requirenda est. Itaque Paulus Apostolus Timotheum suum monet, Episcopum διδακτικὸν esse oportere. Quum autem oportere dicit, non tantum vt adiumentum aut ornamentum aliquod, sed vt ipsam quasi formam Episcopi atque essentiam desiderat. Atque vt plenius quę vis huius verbi sit, & quàm multa sub se contineat intelligamus, vberius hoc ad Titum explicat: &, Episcopum (inquit) oportet tenacem esse fidelis sermonis, qui secundum doctrinam est, vt & idoneus sit ad adhortandum in sana doctrina, & ad cõuincendos eos qui contradicunt. Quomodo aũt in sana doctrina adhortari poterit, nisi eam prius ipse ex sacris Scripturis didicerit? Aut resistentes qua tandẽ ratione cõuincet,
Act. 18. 28. nisi per Scripturas, vt Apollo feciſſe in actis memoratur? Deniq; illa quæ Paul.
2. Tim. 4. 2. Timotheo mandat, vt instituat, doceat, arguat, corripiat, adhortetur: quomodo præstabit nisi per Scripturas? Quæ (vt
2. Timot. 3. 16. Paulus monet Timot. verbi ministrum, quem virum Dei appellat) ad hæc omnia pro suo munere præstando informa

re pos-

re posſint. Atq; quũ hoc ſemine nos in nouam vitam progigni ac proſeminari teſtetur Petrus, & nati eodem lacte nutriti, foueamur & augeſcamus: qui tandem fieri poteſt, vt quis filios dei gignat ſine iſto ſemine? aut natos, & ab alijs proſeminatos atque genitos, abſq; lacte hoc fouere & tueri poſsit? 1.Pet.23.2

Regius Propheta Dauid teſtatur neſcire ſe qua via progrediendum ſit, niſi fax iſta illi præferatur, qua pedes ſuos in rectam viam dirigat. Ergo quum verbi miniſtris mandatur vt nos in viam ducant, διδούχους eſſe oportet, & facem hanc accenſam in manu ferre, quæ ſibi primùm, tum etiam ijs quos ducendi in domini vijs curã habent, viam cõmonſtrent. Atq; ex hoc dirigendi illuſtrandi ducendiq; munere, præclara illa nomina πρφεcta ſunt, quib. ſæpe in Scripturis appellantur ſtellæ cœli, lux mundi, oculi corporis, cœcorũ duces. At verò niſi ſtellæ iſtæ luceant, & niſi in ſolem antè magna lucis vis colligatur (vt in prima eius creatione factum eſt, quum crearetur vt diem regeret) niſi, inquam, ipſo primum accendatur atque luceat, alios Apoc.1.20. Matth. 16. 6.22.

irra-

irradiare, & ea luce quam nō habet, viam monstrare non potest. Eadem ratio est oculorum atque ducis. Si enim (vt diserte hac de re seruator noster disserit) oculus ipsæ tenebræ sint, quantæ ipsæ tenebræ erunt? si cœcus cœcū ducat, fieri non potest quin ambo in foueam recasuri sint.

Atq3 quò certius nobis de hac doctrina constet, alia præterea quædā nomina (nā omnia colligere infinitū esset) quibus illorū munus atq3 officium declaratur, consideremus. Paulus Episcopū Dei œconomum esse dicit, & alio loco addit dispensatorem mysteriorum Dei. Ergo & ille Dei familię victum suum suo tempore præbere debet, & familiæ ab œconomo hæc mysteria petenda sunt: vt Egyptij quū fame laborantes regem adirent, ab eo ad regni œconomum & annonæ præfectum remittebantur. Quod etiā apud Malachiam Prophetam expressè dicitur, labia sacerdotis custodire scientiam, & legem petendam esse ex ore eius. Ergo œconomum hunc tanquam Iosephum aliquem magnam frumenti vim & numerū congessisse oportet,

tet, horreaque sua compleuisse, & omnes pectoris cellas multo antè hac annona instruxisse, vt populi necessitatibus atque fami subministret. Atque hic est ille scriba quem ad regnum Dei (id est Euangelij prædicationem) edoctum & informatum esse Dominus ipse testatur, qui ex thesauro suo in vsum familiæ noua atque vetera depromat. Ad Ephesios Paulus Pastorem & Doctorē à Christo Domino dicit ad corporis sui tanquam domus Dei ædificationem datos esse, vt fabrica illa vna omniū præstantissima, atq; adeo hac pulcherrima mūdi machina magis admirabili construatur. Qui verò ea ferramenta atque vectes quibus ad hoc ædificium extruendum opus est, tractare & ijs vti nesciat, quid (inquam) pretiosissimo fundamento dignu possit efficere? Idem Paulus Ecclesiā vt οἰκοδομὴν θεοῦ, ita & γεώργιον appellat: quæ etsi sola Domini benedictione crescat & augeatur, tamen ministri quidam, qui plantent, & qui rigent, adhibentur. Vnde alibi etiam cum cœlo atque nubibus, & eorū doctrina cum rore & pluuia conferuntur. Quòd si verò nu-

rò nubes istæ ἄνυδροι sint, & cœlum hoc quouis ferro æréue durius (quale peccanti populo suo Dominus in lege minitatur) ager & hæreditas Domini efflorescere aut fructum ferre qui potest?

Sed quum immensum sit omnia (quę sunt pene innmuerabilia) consectari, vnicũ pastoris nomẽ, reliqua relinquentes, consideremus. Vnicum enim hoc ποιμήν & nomen quàm multa continet? quàm infinitam penè curã & quàm multiplicem variarum rerum scientiã complectitur, vt gregẽ Domini à lupis dies noctesq; vel vitæ suæ periculo conseruet & tueatur? (qua de re diligẽtissimè Paulus Ephesinæ Ecclesię Episcopos admonet, vt oues pascant, regãt pædo, voce appellent) ad pascua salubria & suauiter decurrẽtes aquas educat? errantes & palantes ad ouile reducat? Quæ verè omnia ἀρχιποίμην ille præstitit. Quin & illa cuius doctrinæ sunt, quæ in pastoribus à Prophetis Ezechiële & Zacharia requirũtur, cõfirmare infirmos, mederi ægris, ligare cõfractos, contritos obuoluere, errantes quærere, & palantes ad ouile reducere? Ergo Dominici gregis

pasto-

pastorem neminem, nisi qui hac tanta varietate instruatur, eligere oportet: cui vox illa germani pastoris ad oues regendas pro pædo sit, qua oues se educi reduciq; patiuntur, qui pascua atque fontes gregi suo cõmodos, qui deniq; omnem illam infirmorũ & languentiũ curandi rationẽ perspexerit. Neq; verò me quisquam hac in re duriorẽ aut scueriorem esse quàm sit necesse, conqueratur: quũ non minora sint illa quæ (vt diximus) à Paulo exigũtur, docere in sana doctrina, excitare languentes, resistentes conuincere, vacillantes confirmare, frangere contumaces, pios præmio proposito ad omnem virtutem & laudem incitare, impios autem minis à flagitijs atque sceleribus deterrere.

Atq; quod ad doctrinã attinet, cuius tandem hominis esse existimamus, ita mysteria illa pcipere vt docère possit, ipsis Angelis admirabilia, & ante aliq tempus incognita, Dei manifestati in carne, iustificati in spiritu, assumpti in gloriã & reliqua quæ à Paulo diuinitus colligũtur & quæ Ecclesiæ bono Christi ministro pponenda esse admonet? Quia

& sa-

& ſanam doctrinam à corrupta diſtinguere, illamq3 tanquam ſalubre quoddam pabulum & amœniſsimas aquas præbere, ac eam quidem pro varietate temporum aptè atq3 commodè diſtribuere, corruptas verò & falſas opiniones, vel etiam ſtultas & inanes quæſtiones, tanquam gangrænas (vt ait Apoſtolus) ad Eccleſiæ ruinam proſerpentes opportunè cognoſcere, & prudēter deuitare nō niſi periti eſt & in ſchola Chriſti eruditi. Omnibus verò ordinib præſcribere quid cuique conueniat, & quæ cuiuſque officia ſint, de regis atque omnium magiſtratuum munere, de obedientia ſubditorum, de Lege, de Euangelio, de pœnitentia, de fide diſſerere, quæ partim per Timoth. Epiſcopis omnib. prædicanda præſcribit, partim ſe feciſſe Epheſinis Presbyteris teſtatus, illos ad ſui imitationem adhortatur: annō magnam quandam in ſacris Scripturis verſandis diligentiam & ſingulare ſtudium deſiderant? Quàm difficile eſt nutantes ac labentes promiſsionibus cōſolando ſuſtentare, feſſos atque laborantes reficere, & affli&os tanquā ab inferis excitare?

tare. Hæc nimirum diuinæ cuiusdam artis atque doctrinæ sunt, & eruditam illam linguam desiderant qua Esaias testatur se laborantes & fatigatos recreasse.

Sed ne longior in hac parte sim & cũ alia multa, tum illa diuina & admiranda de electione fidelium & infideliũ reprobatione mysteria omittã: vnum illud quanti est, de Dei voluntate interrogatum, in omni negotio respondere, & tanquam oraculũ Ecclesiæ esse, quod neminem sine varia quadam & excellenti sacræ doctrinæ & diuini verbi (quod vnicum nobis sanctuarium, arca, oraculum superest) cognitione, tanquam sacerdotium sine Vrim & Thumim, suscipere posse existimamus? Ergo quum Ecclesiæ gubernatio tantæ artis sit, & (vt inquit ille) πολλῶν χαλίνων ἔργον οἰάκων θ' ἅμα, peritum gubernatorem ad hæc gubernacula adhiberi oportet: nec ea baiulo alicui aut vnius operis remigi temerè committere, qui in medio Oceano iactatus astrorum ignorantia cogatur exclamare, vt ille apud Poëtam,

ὦ φίλοι, οὐ γὰρ τι ἴδμεν ὅπ' ἠώς, οὐδ' ὀθιδυσμῶν

οὐδ' ὁπ' ἠέλιος φαεσίμβροτος εἶε' ὑπὸ γαῖαν,
οὐδ' ὁπ' ἀνεῖται.

Palinuro potius aliquo diuino, aut Typhi opus est, qui ad verbi Cynosurā nauem dirigens, recto cursu ad portū perducat. Sed & illud in hac quæstione consideran dum est, de Ecclesia regenda agi, de pascēdo grege Domini, de Ierusalē ciuitate Dei nostri cōseruanda, de tēplo Dei, de corpore Christi, quo nihil ferè est in omni cœlo terraque diuinius: vt certò statuamus, hūc tot aureis vellerib. quot oues sunt, insignē gregē, nulli nisi peritissimo viro & diligentissimo, ac non nisi Iacobo alicui cōmittēdum. Quis.n. vel vnius ex hoc grege ouiculæ iacturā præstare possit, cuius quum errantis ad ouile reductionē Angeli valde gaudeāt & lætentur, annon si perderetur, Angeli ipsi pullati quodāmodo, & cœlū & terra veste mutata dolorē suum significarent? Quòd si verò gregem hunc pastori com miseris, qui non modo perditam ouem non quærat, confractam non obuoluat, sed ne possit quidē, quàm multas tum perituras, & quàm indignè dominū gregis suis tantam iacturam laturū esse, &

qui-

quib. verbis nō tātùm paſtorē, ſed & villicos ſuos, qui talē præfecerint, acceptu rū exiſtimamus? Quemadmodū nimirū apud Ezechielē deſcribitur, vigiliæ quæ aduentantes hoſtes nō denūciarint, vnà cum vrbe capiētur, & vnà interibunt: & (vt Chriſtus ipſe diſertè monuit) ſi cœcus cœcū ducat, ambo in foueā recidēt.

Ergo quū Epiſcopo de tantis tamq3 diuinis reb. pro ſuo munere dicendum diſſerendumq3 ſit, quū Eccleſiæ gubernandæ præſit: quum certum periculum Epiſcopo ſimul & Eccleſiæ impēdat, ſi non idoneus ad tantam procurationem deligatur: hæc autem facultas ferè tota in ſacra quadā ſanæ doctrinæ cognitione & verbi diuini intelligentia conſiſtat: ſatis (vt opinor) manifeſtè conſtat, ad Epiſcopatum neminem niſi piè eruditum admittendum eſſe: & ſi errore aliquo fuerit admiſſus, abdicandū eſſe. Sic enim ſeruator noſter inſipidū ſalem proijciendū eſſe foras pnunciauit, & Propheta Zacharias ſub regno Meſſię fore prędixit vt ipſi ſe ſponte ſua abdicarent, liberè atq3 palàm profitentes ſe non eſſe Prophętas, ſed agricolas, &

à prima iuuentute non discipulos Prophetarum, sed bubulcos, baiulos, opiliones extitisse.

Quæ quum tam aperta sunt, & tam manifestis scripturæ testimonijs confirmentur, vt negari non possint: satis mirari non possum in Ecclesia Christiana vnquam accidere potuisse, vt tam clara Dei mandata & ad nostrum fructũ atq; Ecclesiæ salutem tam necessaria violarentur. Sed non solùm violantur, idque ita passim atque sæpe, vt pro vno idoneo plurimos ineptos & indoctos reperire liceat: verùm etiam excusationes & defensiones conquiruntur, quasi hæc quodammodo licerent: & grauissimo crimini patrocinia non desunt. Necessarium hoc malum esse dicunt, & aliter fieri non posse, neque tantam doctorum turbam esse quæ vniuerso regno possit sufficere. Itaque aut populum omnino Episcopo destituẽdum, aut aliquem (etsi non satis idoneum) admittendum esse. Hæc oratio videtur esse eiusmodi, ac si omnes docti & idonei per Ecclesias iampridem distribuerentur. Quod quàm verum sit, ex Academijs satis intelligi

telligi potest, in quibus quàm multos pietate & doctrina insignes videre licet, qui ad Episcopatus non adhibentur, ac nunquam quidem adhibebuntur, nisi ipsi petant, ambiant, emant, nūdinentur? Sed ponamus hoc ita esse, & adhuc aliquot ꝓuincijs deesse qui verbum Dei administrēt: quærunt hic quid agendum sit. Quid, inquam, nisi quod vel in vberrima messe, quum sint pauci operarij, discipulos suos facere seruator noster admonet, vt dominum messis precemur vt operarios in messem suam emittat? Nō enim propterea quòd messis copiosa sit, quilibet in agrum Domini ad frugem demetendum mittendus est: sed orandus Dominus vt ipse frumentum suum curet, & de messoribus prouideat, qui neminem nisi aptū & idoneum ad opus suum adhibet. Ergo si de messe Domini vero affectu commouemur, veriti ne orta aliqua tempestate calamitatem sustineat, non patiemur nos stulto quodam affectu abduci, vt ipsi prout nobis optimum videbitur, prospiciamus. Quid enim hoc aliud est, nisi Deum non satis de rebus suis soli-

citum esse arguere? Sed teneamus eum modum quem seruator noster præscripsit, vt precib. nostris Domino messem suam commendemus.

Vt autem omnib. orandũ est, ita magistratibus, quib. hanc curam Dominus cõmisit, prouidendum erit, vt operarij, quamprimum fieri possit, cõparentur. Instituendæ illis scholæ sunt, adhibendi doctores, quò iuuẽtus ad hoc opus eruditur. Deniq; omni studio atq; cogitatione in eam curam incumbendum, vt verè aureæ messi quam citissimè fieri possit, prospiciatur. Nam precari Deũ vt ipse operarios mittat, & non dare operam pro eo munere quod tibi commisit, vt mittantur: non precari Deum, sed irridere est. Itaq; ea instituenda ratio est qua ordinariè his temporib. Dominus operarios suos emittit, aut bene instituta diligenter & studiosè curanda, ne negligantur. Et dubiũ nõ est quin precib. & labori nostro Domino benedicturus sit, & idoneos operarios in messem suã emissurus. Interim verò dũ omnibus satis cõmodè prospici possit, vt Apostolicis temporibus, ad proximas Ecclesias,

vbi

vbi verbū Dei annunciatur, accedendū erit, & ad ea loca accurrendū in quibus Ecclesiæ iam constitutæ sunt, donec plures cōstitui atq; ordinari possint. Quę si tā aperta nō essent, & si certè nobis regula nō cōstaret, quā hac in re sequi oporteret: tamen quæ est ista necessitas, quæ cogat tam expressum Dei præceptū violare, vt cui mādato Domini fores occludantur, apertiamus? An vt reliquarū rerū omniū, ita & peccandi tempus aliq; est? aut per nomen iuuandæ Ecclesiæ quicq̄ contra Dei voluntatem cōmittendū, ac non potius perpetuæ illi & sanctissimæ legi parendum est, ne faciamus mala vt inde bona proueniant, sed quæ bona & honesta sunt, licitis etiā rationib. prosequamur? Quanq̄ nec Ecclesiæ sic quidē iuuātur, sed cōtrà potius maximo damno afficiuntur: quū tanq̄ satis ea ratione illis Ecclesijs prospectum esset, amplio de idoneis viris cōparādis nō sunt soliciti.

Sed ne putemus eos de Ecclesijs non esse solicitos, mirifica quędam ratio inuenta est, qua quū lectores tantùm habeant. qui Scripturæ partem aliquam, & preces, reliquamq; liturgiam reci-

tent, idoneos tamen pastores & verbi diuini prædicatores se habere existimant. Compositæ quædam homiliæ de creatione, de prouidentia, de magistratuum officio, de obedientia subditorũ, & cæteris reb. quæ necessariæ visæ sunt, quas etiam certis temporibus populo perlegant. Ita illi malo quod necessarium existimabant, vt indocti admitterentur, succurrerent. Mirificum verò remedium, & Apostolorum temporibus in Ecclesijs inauditum, & quod malum hoc non modò non leuat, sed etiam grauius reddit. Quis enim hoc sibi assumat vt scripta sua in Ecclesia recitentur, legantur, proponantur? Annon hoc soli Deo cõuenit, vt illius dictata legantur? Annon solius Dei vox in Ecclesia resonare, & ab Ecclesia audiri debet? At, inquiunt, sanctę meditationes sunt, & cohortationes ad bonos mores, ex Scripturis desumptę, & à magnis viris conscriptæ. Quidni ergo Augustini, Chrysostomi & aliorum magnorum virorum sanctas meditationes & conciones recitant? Cur non etiam Ecclesiasticam historiam, quæ summæ virtutis infinita

exem-

exempla continet, quas homines imitentur? Ita tandē Deus è solio suo dejcietur: vt quemadmodum Egyptiacis illis Papismi tenebris factum vidimus homines in cathedram suā ascendant.

Quid ergo? An omnis interpretatio verbi Dei tollenda? sola Apostolorum & Prophetarum scripta legentur, nec sancta doctrina plenius explicabitur? non adhortationes vllæ aut correptiones pro varijs Ecclesiæ temporibus atque vsu adhibendæ? Minimè verò. Nam & ex Paulo ante docuimus talem Episcopum eligendum esse, qui ex sana doctrina adhortari posset, & resistētes cōuincere. Et hoc in primis legitimi pastoris officium esse statuo, verbum Dei ad Ecclesiæ suæ vsum atq; tempora accommodare. Sed alia scripta in Ecclesiam inducere, quæ generalem doctrinam aut sanctas meditationes continent, nec ad Ecclesiæ vsum & opportunitates accommodatæ sunt (vt quæ omnibus cōmunes, non quibusdam & temporibus omnib.) non magis licere affirmo, quam Dei gloriam in homines transferre. Atque si creationem mundi

homilia explicant, cur de omniũ ordinum officijs non de ipso Mole potius & Prophetarum atq; Apostolorũ scriptis, quàm ex homiliarum libris explicant, atque legunt? Ergo idoneus vir aliquis eligendus est, qui sacram Scripturã interpretari & ad omnem Ecclesiæ vsum adhibere possit, non lectorem & rhapsodum, qui aliorum scripta & dictata recitent, & cuius ignorantia Ecclesia Dei de salute sua periclitetur.

Cui malo alia etiã medicina morbo ipso nõ multo leuior inuenta est. Academiã vt adeat conceditur, & ibi per triennium cõmoretur, vt postquam per tres annos studiosè in Scripturis legendis, audiẽdis atq; meditandis versatus fuerit, instructior ad Ecclesiam suã docendã reuertatur. Verùm quid interim miseris ecclesijs fiet, si per totos tres annos in medio mari sine gubernatore tanquã ἀπήνδιλα πλοῖα fluctuentur? Non timendũ est ne interim à tot piratarũ, scopulorum, scyllarũ, charybdũ, tempestatũ & fluctuũ periculis, quib. in medio Oceano iactata ob noxia sit, intereat atque obruatur? Cur autẽ hîc serò sapiunt, &

non

non antè ad Academiam ad discendum mittunt, quàm ad docendū admittunt? Aut quæ est Epimethei ingenij puersitas, vt ad docendū eū constituant cui in cathedra discendū sit? Verum quidē est nunq; nos satis posse in Scripturis proficere, & doctissimis quibusque studiose atq; diligenter eam quotidie legendā, versandam & meditandam (vt Paulus Timo. adhortatur, & ipsum fecisse ex ijs membranis quas Romā accersit manifestè constat) vt tanto oneri sustinendo vires suas augeant. Sed illud reprehēdo, q; omnino ineptos ad Episcopatum, id est ad verbi ministeriū & interpretationem admittant, qui scripturam nōdum perceperint, & antè doceant quam didicerint. Contrà verò Dominus Prophetis suis antea præcepta eius cognita & explorata esse vult quæ doceant, quàm ad prophetādum suo nomine emittat. Quod apud Ezechielem ca. 3. & Ioh. c. 10. libri comedendi, concoquendi, digerendi, & in succū quodāmodo ac sanguinem cōuertendi similitudine adumbratur. Ita Propheta Dauid antè se testatur admouisse aurem, vt parabolam intelli- Psal. 48. 5

ge-

ligeret, quàm eam conuocatis omnib, ordinibus ad audiendum, ac citharam pulsare conaretur: prius rem omnem penitus cognoscendam esse iudicans, quàm alijs explicanda suscipiatur. Sed hæc natura mali est, hoc ingenium, vt semel admissum coërceri nequeat, sed alia noua quotidie proferat atq3 parturiat.

Redeamus ergo in vias Domini, & eius sanctissimis & iustissimis institutis ac legibus pareamus: statuamusque neminem ad Episcopatum admittendum esse, qui non antè ita piè in sacra Scriptura versatus sit, vt eam sincerè ac purè, & ad Ecclesiæ ædificationem commodè explicare possit. Non enim satis est non esse mutum in Ecclesia, sed sanctè in Scriptura tractanda versari oportet, & (vt Petrus admonet) tanquam Dei oracula & mysteria tractare, & (vt Timo. Paulus monet) præbere se operarium quem laboris sui non pudeat, non quales ad Corinthios describit, qui super pretiosum fundamentum paleas & stramen extruunt, quod ad eorum iacturam dies Domini consumpturus sit.

Deni-

Deniq3 (vt vno verbo complectar) veritatis sermonem [illegible]. Neque verò mihi hoc loco propositum est ratione formandi cõciones constituere, sed generaliter explicare doctrinam ad ædificationem referendam, & simpliciter ac sincerè sacra scripta explicãda esse. Quidam enim quũ se tanquam doctos populo vẽditare volunt, multis Philosophorum, Poëtarum, Oratorum atque scholasticorum, & antiquorum patrum, Augustini, Hieronymi, Basilij & aliorum sententijs, ijsque Latinè aut Græcè recitatis, conciones suas referciunt, & ex multis centonib. malè consutis auram nescio quam popularem & vulgi rumusculos aucupãtur. Quod & indocti quidam faciunt (indoctos dico quod ad sacræ doctrinæ cognitionem attinet) qui quum docere volunt, nec habent in Scripturis exercitatum animum & illa Apostoli ἀισθητήρια γεγυμνασμένα, sed τὰ κατὰ ξω παραδείγματα à Græcis Christianis appellata semper ante tractarint, ex eo thesauro quem collegerunt, populo depromunt, & Philosophos potius aut oratores, quam Prophetas & sacrarum Heb. 5. 14

Scri-

Scripturarũ interpretes agunt. Alij verò nescio qua peregrina ratione interpretandi vtũtur, & germanum atq; genuinum Scripturaru sensum allegorijs & stultis atque anilibus fabulis (quales vitandas esse Paulus Timotheum & Titum admonet) peruertunt. Quare magna cura hic adhiberi debeat, & audiri primum ab electorib. qui eligendus est, quomodo sacras Scripturas interpretetur, quàm ad Episcopatum & verbi huius ministerium admittatur.

Atque hæc de doctrina Episcopi, ad alia pergamus. Nam ne hoc quidẽ Apostolo satis est, vt sit διδακτικὸς: qui infinita quadã cura de Ecclesia solicitus, omnia diligẽter & accuratè cauit, ne qd vsquã periculi delitesceret, q̃ ecclesię obesse posit, præsertim in eo quo ædificiũ hoc tanq̃ columna niteretur. Cauendũ ergo admonet ne sit νεόφυτος, qui nõ ita ptidẽ ex idololatrica superstitiõe emerserit. Quod quũ eueniat, magno Ecclesiæ quoq; damno & iactura accidat necessum est. Quũ enim verbi Dei ministet doctorúe aliquis corruat, qui in ecclesia (vt diximus) instar colũnæ est, aut maioris

loris ligni alicui ꝯ vel trabis cui magna pars ædificij nititur, necesse est & qui illo nitantur, eod. motu labefactati cōcidant. Prudēter ergo & peritè architectꝯ noster νεοφύτους, tanq̄ viridia quædā ligna quæ humorē suū non exudarint, nec vlla temporum varietate consolidantur (vt periculū sit ne se contrahendo magnarū ruinarū causam præbeāt) ad ædificationem domus Dei adhiberi vetat. Itaque malè & ijs ipsis quib. hoc defertur, & Ecclesiæ ipsi ꝓspiciunt, qui vix dū è superstitionū suarū cœno emersos in ministeriū ascribunt, & quos in castris Dei exercituū ὁπασθοὺς esse oporteret, eos τοῦ γοὺς ducesq; cōstituunt, ac vixdū è dura Papismi seruitute manumissos, in summā Christianæ Reipublicæ dignitatē euehunt. Ita fit vt sæpe, (ꝙ Romanæ Reip. accidisse aliquando Halicarnasseus testatur) vel in summis locis δυσκαθάρτους σπίλους videamus, multosq́; (quod Socrates apud Platonem de Athenis conqueritur) ad Ecclesiā accedere ἔτι τὴν ἀνδραποδώδη τρίχα ἔχοντες ἐπὶ τῇ ψυχῇ. id est quorū in animis adhuc illud seruorum capillitium remanet.

Atque

Atque nobis quidem præter cæteros de tanta indignitate queri licet, qui tan dē magna mercede cognouimus quanti sit sanctam hanc Apostolicam prudentiam neglexisse. Nam si quid aliud, hoc certè magno impedimento puriori Ecclesiæ πολιτείᾳ instaurādæ fuit, quòd νεόφυτοι in ministerium & summas dignitates euecti, lōgius se ab ea viuendi ratione cui assuefecerant, ægrè ac difficulter abduci patiebantur, vtili & quæstuoso sacerdotio assuefacti, à ministerij mediocritate abhorrebant: ambitiosæ & fucatæ Romanæ Hierarchiæ splendore capti, reformatæ religionis seueritatem non sustinebant: multosque annos infinitis cæremonijs atque nugis, totique illi paparum scenicæ & histrionicæ vitæ (quæ illis speciem atque dignitatem habere visa est) penitus intenti Euangelij simplicitatem aspernabantur. Quantò ergo satius fuisset, & ad Ecclesiæ ædificationem aptius, si trabes istæ succum suum & humorē, quo imbuebantur, ante exudassent, nec viridēs ad structuram domus Dei adhibitæ, ruinæ periculum minarentur? Non tam

faci-

facilè à recepta vitæ consuetudine discedimus, præsertim si cum idololatria & superstitione, quæ nobiscū nascitur, & quam cū lacte nutricis hausimus, cōiuncta sit, anteactæ sæpe vitæ nostræ memoria desideriumque recurrit: vt hic multo studio atq; labore tanquam ad omnem vitæ statum commutandum opus sit.

Itaque in Lege sua Dominus præceperat, vt siquis ex idololatricis gentib. mulierem bello captam seruasset, & ad fidem conuersam in vxorem ducturus esset, primùm certum tempus aliquod ad deflendam patriam parentesq; concederet, crines capillosque abraderet, vngues præscinderet: denique sepultam antè quodāmodo quod ad anteactam vitam pertineret, & rursum in nouam professionem atque vitam excitati, & quasi ab alijs parentibus & in noua patria nasci pateretur, quàm se illi coniungeret, & in vxorem desponderet. Quanto magis ijs præsertim qui quum antè idololatriæ sacerdotes & doctores fuerant, nouæ religionis magistri & doctores ordinabantur permittendum fuit,

vt ſuperiorum temporũ amiſſa commo da & opportunitates deflerent? Quàm ſæpe enim putamus illos anteactæ vitæ cõmodorum otij, pompæ, non minore deſiderio quã patriæ & parentũ meminiſſe? Capilli aũt non tã abradẽdi (huic enim rei conſueuerant) ſed alendi atq; nutriendi: vngues verò illi rapaces, quibus ad ſe vndequaque rapere ſolebant, præſcindẽdi: curandũ deniq;, vt mortui quodammodo, quaſi παλιγγενεσία quadã de nouis parentib. & in alia patria renaſcerentur. Nam ſi non ſolùm idololatria aliquando extitit, ſed & idololatriæ autor ac magiſter, maior quædã cura hic adhibenda eſt, & tanto diligentius laborandum vt perpurgetur, quanto ſe fœdius omnibus ſordibus inquinarit.

Sic enim præcipit diuina lex, pro pollutionis ratione purgationes & lotiones adhibendas eſſe. Facilius enim purgatur qui vas aliq; aut veſtimentũ immundi attigerit: qui aũt lepra laborat, difficilius. Hic enim quãuis iam morbo curato & perſanato, tamen per ſeptem dies concluditur, & manet immundus: poſt etiam quũ plane conualuiſſe conſtat,

ſlat, abraditur, lauatur, expiatur. Quæ autē fœdior tetriorue lepra quàm illa ſacerdotij Papiſtici eſſe poteſt? Vt hic non minore atq; adeo tanto maiore cura & labora vtendū ſit, quanto ſunt animi quàm corporis leprę grauiores. Itaque leproſus iſte etiamſi ſanatus & curatus, tamē & pudore morbi & timore periculi (ne id malum forte iterū erumpat) ad certum aliq; tempus ſeparādus eſt, poſtea verò exuendus, lauandus, abradēdus, expiandus. De qua tā accurata purgatione Papiſtæ ipſi, dum honorare ſacerdotium ſuū velint, in ſacerdote reo exantorando, nos non obſcurè videntur monuiſſe. Eum.n. cappa, liripipio, ſuperpellicco, quadrato pileo, & reliquis ea lepra pollutis veſtimentis exuunt, vngues præſcindunt, coronā abradunt, nequa forte contagio in illis locis, in quibus primò morbus apparuit, delitesceret. Hanc tantam eorum diligentiam & laborem in reo & iure damnato Papiſtico ſacerdotio debueramus imitari: veſtimentis omnibus exuendum fuit, & illa non lauanda modo erant (ſuper quæ nimirum lepra expanſa fuit)

sed (vt lex præscribit) comburenda: resecandi vngues, & (quod vnũ rectè fecimus) abradenda corona, ne fortè olei illius humor odórue aliquis remaneret. Non hodie tanta contentione de illorum immundis vestib. certaretur. Sed imperitia quadã sacerdotum accidit, quum inter mundum & immundum ex Legis præscripto non distinguerent, & non manasse lepram in vestimenta putassent, vt lauanda tantùm (quorum sordes nulla fullonum arte ablui possent) non comburenda censuerint.

Sed hęc ἐκδολὴλογα sit non inutilis. Ad propositum redeamus: & ob eas causas quas diximus, sanctioni Apostolicæ de neophytis ad verbi ministerium nõ admittendis parendum esse sanciamus. Atque hæc ferè ea sunt quæ ab idoneo Episcopo requiruntur, & quę examinatores pręcipuè spectare oporteat. Nam quod Canones certam ætatem requirunt, prudenter hoc quidem ab electoribus considerari debet. Vix enim nisi singulari quadam Dei gratia iuuenilis ætas ita continetur, vt non aliqua turpitudine ὀλιγοήτειαν prodat, quæ sacrum

munus

munus dehoneſtet. Attamen quum Apoſtolus nihil de ætate præceperit, quin potius Timotheum & Titum ob ætatẽ contemni prohibeat: pia & erudita iuuentus ab hoc officio arceri non poteſt. Aliquando enim hæ primitiæ Deo conſecrantur. Quin etiam (vt ait Poëta) φύσται καὶ γίοις πολιαὶ θαμὰ καὶ παρὰ τὸν ἡλικίαν λοιπὸν χρόνον: pietatis nimirũ & ſanctitatis cani, addo etiã canam ſcientiam. Vt illuſtria quædam exempla iuuenib. imitanda in Ioſepho, Daniele, Timotheo, Tito, & aliquot alijs proponũtur. Sæpe etiam ſancto quodam zeli ardore & illo cœleſti igne vehementius quàm alij flagrant atque incenduntur, & neſcio quomodo ſpiritus primitię ſanctiores ſunt, & hæc quaſi primogenita Spiritus ſancti dona magis vigent, & robuſtiora ſunt. Atq; hæc de ſpeciali Epiſcoporum electione.

Rurſus nouo ſumpto exordio de ordinatione dicamus. Superius dictũ eſt à nobis, omnes Eccleſiæ procurationes certis locis & hominibus ordinandas eſſe, in quibus, & apud quos ſuũ munus exerceant. Epiſcoporum autem ordina-

pio hoc noſtris temporibus ſpeciale habet (nā quòd reliquis Presbyteris olim hoc cum illis commune fuit, ſingularem quandam & illius temporis propriam rationem habuit) quòd ab ea ordinatione ad certum locū atque gregem, quem diligenter curare tueriq3 debent, pendent etiam commoda quædā atque fructus, quibus ali ſuſtentariq3 poſſunt. Qua de re nobis vberius Paulo dicendū eſt: vt & omnes ſe ad hoc officiū Epiſcopis ſuis præſtandum Dei mandato cogi intelligant, & vt certorū auaritiā, quib. nihil ſatis eſſe poteſt, coërceamus. Ac primùm quidē hic meminiſſe oportet q̄ antè diſputatum eſt, oportere Epiſcopos annunciando verbo Domini & habendis precib. Apoſtolorum exemplo προσκαρτερῶν, neq3 pati ſe ab illo munere perfungendo vlla quantumuis ſplēdida & illuſtri opera, ſiue in Republica ſiue in Eccleſia auocari. Nā illis otioſis qui nihil officij faciunt, nihil etiam officij præſtandū eſt, quin potius agendum cū illis vt Paul. ad Theſſalonicenſes, cum ἀτάκτοις agēdum eſſe præcipit. Verùm ſi ſint hi qui officiū faciant, & qui ſe nullis

2. Theſſal. 3. 6.

Rei-

Reipublicæ negotijs, quorum administratio honorifica illis esse potest, Ecclesiæ causa immiscent: quàm iniquum esset pati illos egestate & inopia sordescere, & vulgaribus artib. victum quærere, quibus non minus quàm honorificis Reipublicæ muneribus ab officijs suis fungendis abducantur? Aq3 quum Ecclesiæ causa dies noctesque sunt soliciti, & omni alia abiecta cogitatione toti in eam curam incumbunt, vt eius salutem promoueant atque tueantur: quid æquius est quàm eos vicissim non negligi ab ijs quorum causa tantopere laborant? Quis enim vnquam (vt eleganter hæc à Paulo ad Corinthios disputantur) stipendijs suis militat? quis vitem plantat, & nullum eius fructum percipit? aut gregem pascit, cuius lacte non nutriatur?

Ecclesiæ verò quũ multi æterni hostes sint, & cum illis ἄσπονδοι καὶ ἀκήρυκτοι πόλεμοι: has Episcopi inimicitias illius causa suscipiũt & sustinent, ac cũ potentissimis principibus (vt à Paulo appellantur) atque potestatibus, & huius seculi Monarchis ac Imperatorib. cũ ma-

ximo ſuo periculo & diſcrimine, pro illius ſalute decertant. Quàm ſæpe enim vel hoc ipſo nomine oppugnãtur, quòd Eccleſiam propugnant? quàm multis ſeſe periculis obijciunt? & quo ardore ab inimicis peti exiſtimamus, quũ intelligant in illorum vita multorum ſalutem contineri? Qui ergo talem ſuum militem vel ducem potius fame perire paterentur, annõ digni eſſent qui in inimicorum ſuorũ manus inciderent? Quæ autẽ vitis ab vllo vnquam agricola ita exculta atque curata eſt, vt Eccleſiæ à ſuis vinitoribus excoluntur? plantandi quanta cura eſt? quantus colendi labor? quæ denique pampinationum & aliorũ laborũ moleſtiæ? Quòd ſi verò tam bene curata vinitorem ſuum non aleret, annon de ea meritò idem quod alia quadam ratione de ſua Dominus per Iſaiam cõquererentur? Quum verò æquius nihil ſit quàm paſtorem gregis ſui lacte ſuſtineri, iſti paſtores grauiſsimorũ luporum impetus & inſultus ſuſtinebunt, perpetuas excubias de grege ſuo agẽt, paſcent, curabunt, quærent, maximos ęstus & grauiſsima frigora eius cauſa pa-

ſa patientur, denique ſæpe vitam ſuam infinitis periculis exponẽt, vt eum tueantur: & illius lacte non alentur, lanaque atque vellere non veſtientur?

Neque verò hæc humana quadã ratione tantùm nituntur, & (vt inquit Apoſtolus) κατ' ἄνθρωπον diſputantur: ſed Dei hoc inſtitutũ eſt, & illius legis, quæ boui trituranti os obligare vetat, fundamento nititur. Non tam enim boum atque belluarum quàm hominum rationem Deus in ea ferenda habuit. Sed & arantem meritò laboris ſui moleſtiam ſpe fructus conſolari, & meſſorem oportere ſpe ſua frui, cuiuis denique ex ſuo labore viuendum eſſe docere voluit. Quinetiam manifeſtè addit Apoſtolus, quemadmodum ſub Lege qui ſacra tractabant, rebus ſacris alebantur, & qui altari ſeruiebant, altaris oblationum erant participes: ita Dominum inſtituiſſe vt qui prædicarent Euangelium, ex Euangelio viuerent. Et ad Timotheum ſcribens, vtrumque, tam illud ex Lege, quam hoc ex Euangelio, eodem loco adhibet: vt ſenioribus qui bene præeſſent, conſulendum eſſe probaret. Di-

1. Timot. 5. 18.

cit enim sic esse in Scriptura, Boui tritu rēti os nō obligabis,&, Dignus est operarius mercede sua. Sic enim ab Euangelistis narratur, Dominum, quum Apostolos suos ad Euangelium prædicandum emitteret, iuberetq3 ne de viatico aut vestimentis cōparandis essent soliciti, vbiq3 operariū mercede sua dignū esse monuisse. Itaq3 in quācunq3 vrbem ingrederentur, si quis in ea vrbe dignus esset, iubet illius domum adire, atq3 in eadem, donec discedant, permanere.

Quib.& Dei in vetere Lege & Christi in nouo Testamento institutis fretus Apostolus, in Galat. Ecclesia constituit, vt qui in verbo Dei informaretur, facultates suas cū eo à quo instrueretur, communicaret. Quinetiam addit (perspiciens nimirum multiplicem versacilis & auari ingenij nostri naturam, qua huic legi multi fraudē facere,& Deo illudere conarentur) Deo illudi non posse: denuncians, vt si in spiritum seminare nollent, sed semē omne in carnē effundere, non expectandum illis sese vt ex spiritu vitam æternam aliquando colligerent, sed corruptionem & interitū ex carnis fundo,

fundo, in quo tam copioſè ſeminaſſent. Ex quib. ſatis (vt opinor) manifeſtè cõſtat, Epiſcopis ab Eccleſijs ſuis benignè cõſulendũ eſſe, ne paupertate & inopia iniquiſsimè cogantur operã ſuã diſtrahere, & alijs artificijs exercendis, à munere ſuo pfungẽdo auocari. Quod aliter fieri nõ poteſt, quum illo Apoſtoli præcepto de curanda alendaq3 familia (vt reliqui omnes) teneantur, & (vt cæteri) niſi ſuis ac præſertim domeſticis cõſuluerint, infideles, ex Apoſtoli mãdato, habẽdi ſunt. Huius autem curæ certã rationẽ etſi pro infinita varietate temporũ & perſonarũ non ſit facile explicare, id tamen generaliter dici poteſt, nihil hic auarè, parcè, atq3 ſordidè, ſed contra, prolixè benignè, liberaliter cũ miniſtris verbi Dei agendum eſſe. Si enim Euangeliũ Chriſti eo animo quo decet acceperimus, eiuſdem etiam miniſtros ſumma animi volũtate atq3 omni officio complectemur. Quem animum in Galatis fuiſſe erga Paulum Apoſt. ipſe narrat, qui ſe ab illis tanquam Angelum Dei, atq3 adeo ipſum Chriſtũ receptũ eſſe teſtatur: adeo vt nõ tantũ facultates,

ſed

ſed (ſi fieri potuiſſet) etiam oculos ſuos ſibi eruiſſent, vt illi concederent. Ergo ex his quæ diximus, ſatis apparet, honeſtam atque cõmodam viuendi rationem Epiſcopis diuina ordinatione deberi, quò liberius in vocationem ſuã incumbant.

Verùm hæc tam diuina, ſancta, iuſta lex vt paucorum pompa atque affluentia, ita multo magis plurimorũ inopia atque egeſtate violatur. Quæ certè tanta eſt, quatam pudet profecto dicere. Dicendũ tamen eſt, & detegendus morbus, atque quantus & quàm grauis ſit, liberè & apertè explicandum, vt de remedio cogitemus: ſi tamen deſperatis, (quod vetat Hippocrates) medicina adhibenda ſit. Quod enim remedium tam confuſis & perturbatis rebus afferri poteſt? quum parum abſit vt miniſterium, ſicut olim Papiſticum ſacerdotiũ vicatim & oſtiatim mendicet, & plurimarum Eccleſiarum Epiſcopi peiore ferè conditione ſint, quàm quiuis mercenarij, opiliones, baiuli, quibus præter victum ſuũ aliquid datur quod ad alendam familiam domum afferant: quum

mul-

multarum Ecclesiarum doctoribus vix sit vnde vitam suam miserè sustentent. Cuius turpitudinis causa est impietas quædam cum auaritia coniuncta, quòd multi religionem, cultū Dei, hominum salutem nihil curãtes, sibi solis studeant, & ad se vndique rapiunt, iure an iniuria nihil soliciti. Itaque omnem potius religionem, omnem Dei colendi & venerandi opinionem, omnem in Christo fidem, & beatæ vitæ spem atque expectationem, ex animis hominū deleri mallent, quàm suo vel minimo sumptu sustinere. Ad sacrum ministerium nō modo nihil conferre volunt, quo florente illa vigent, & labefactato cōcidunt: sed olim liberaliter ab alijs collata iniquissimè ad se rapiunt, & Ecclesiam suis bonis spoliantes deprædantur. Quàm multæ enim Ecclesiæ sunt, quæ quum olim abunde satis atq; commode virum doctum & eruditum, à quo in Euangelio docerētur, alere possent, nunc vix rhapsodum aliquem aut lectorem alant, illis bonis nimirum impropriatione (vt appellãt) id est iniuria, ab Ecclesijs ablatis, & in varias partes distributis?

Quã

Qua barbarie, impietate & auaritia omnes ferè gentes superamus, quæ de ea ratione qua Deũ sibi colendũ esse hnxerunt, conseruãda & vnà etiã de sacerdotib. eius fouendis atq; alendis, & hodie sunt soliciti, & omni memoria exiterũt. Ita apud Mosen legimus, Pharaonẽ sacerdotib. Egyptiacis, & in historia Regum Iesabelem lucorum sacerdotib. prospexisse: atq; ita quidem solicitè, vt hæc 400 in suam mensam adhibuerit: ille, quum reliqui grauissima fame oppressi, greges & armenta, fundos deniq; suos pro frumento vendere cogerentur, (donec tota regio hac ratione in regis
Gen. 47. 22. possessionem cessisset) sacerdotes suas possessiones vendere noluerit, nec eorũ incõmodis fructus suos crescere: sed cõtra prouideri illis atq; adeo de suo donari imperarit. Similiter etiam & reliquę gentes ac nationes ferè omnes suis auguribus atq; auspicibus consulunt, & religionem in Republica hærere existimant, si sacerdotes negligantur. Ac Papistas quidem videmus quàm benefici ac liberales ad superstitionem alendam, fouendam & sustentandam extite

rint,

rint, qui incredibile est quantas impensas fecerint in idololatriā, & illam speciem atq; vmbram religionis, ac quantos quasi aromatum sumptus in Christi (vt ita dicam) cadauer erogarint. Nos verò viuum atq; resuscitatum quo dammodo deserimus: vt verendum sit ne aliquando nobis hanc suam paupertatem & egestatem exprobret: seq; nudum, famelicum, sitibundum, desertum fuisse conqueratur. Neq; verò tantùm nudus deseritur, sed suis etiam vestimentis spoliatur, vt quum tunicā eius sortiti sint, & reliqua vestimēta diuiserint, videantur de illo iterū crucifigēdo cogitare.

Sed quum Ecclesiā spoliandi multiplex ratio sit, tum illa mihi omniū grauissima videri solet quæ per impropriationē fiat, (quæ quā nihil in se iuris habeat, nomen ipsum satis ostendit) quæ est Ecclesiæ alicuius possessionis ad alienum dominū, cui nihil in eam iuris est, translatio. Sed quū omnis hic locus de Ecclesia nostra indignissime spoliata à doctissimo viro Martino Bucero ppurgatus sit eo lib. quē antè memini, quūque eod. lib. nō solùm impropriationū,

sed

ſed & annalium (quæ eiuſdem ſpeciei quædam eſſe videntur) collationū, reſignationum & aliarum nundinationū & ſpoliationum direptiones proſecutus ſit: malo hæc ex eruditiſsimis illius ſcriptis peti, quò maiorem autoritatem oratio hæc habere poſsit. Nos verò etiam cum eo hunc Eccleſiæ noſtræ caſum lugeamus, quæ vbique fere orba & tutoribus idoneis deſtituta eſt, dum nemo eam conditionē accipiat, ex qua infinitis laborib. defunctis vix quidem vitam ſuam ſuſtentare poſsit. Neq; vetò tantùm in præſens orba, ſed verendū etiam eſt ne in ſempiternū tempus deſtituta iaceat, & diuini verbi ſtudiū negligatur: dum nemo in eam viuendi rationem libenter ingrediatur, in qua nō modò & commodè & honeſtè viuendi nulla ſpes ſit, ſed etiam ad infinitas moleſtias, quæ cum illa profeſsione cōiunguntur, paupertas & egeſtas accedant. Atq; vicinarum Eccleſiarū ruinæ ſatis abundè nos docere poſſent quàm hæc Eccleſiaſticarum facultatum diſsipatio & ſacri miniſterij alendi conſeruandiq; neglectus Eccleſiæ periculoſus ſit: niſi noſtrō

nostro malo potius quàm alieno sapere vellemus. Quare nisi prouiderimus, sciamus hoc vnum malum certum Ecclesiæ exitium minitari, nec tantos hospites, quanti sunt Euangelij præcones, in tam incommodo hospitio diutius commorari posse. Quòd si verò illos discedere à nobis coëgerimus, transferent profecto secum pacẽ eam quam attulerunt: & quam vnam cum illis in Angliam ingressam esse, verè nobis licet profiteri. Ne ergo ita parũ æstimemus infinitam illam curam, qua Dominus nos per seruos suos iampridem pauit, curauit, gubernauit: ne tandem constringat pædũ suum, & curam nostri abijciat, atq; discedat: neue 30 argenteis nostris, & præclara laborum suorũ mercede, quã illi dependimus, prouocatus, discedat etiam iratus, nihil amplius nec de confracto obuoluendo, nec amisso quærendo solicitus.

Quare tandem aliquãdo sordes istas corrigamus, atque quum (vt inquit Apostolus) ipsi nobis τὰ παιδαγωγικὰ & ad æternam vitam pertinentia afferunt, ne videatur magnum aut molestum, si à

nobis viciſsim τὰ σαρκικὰ, & huius vitæ cõmoda atq; opportunitates percipiant. Quin contrà potius, quũ hæc Eccleſię quæſtuoſiſsima quædam agricultura ſit, ex viliore ſemine pretioſiſsimos illos fructus ſpiritus, charitatem, gaudium, pacẽ, & reliqua quæ à Paulo ad Galatas cap. 5. recenſentur, ac tandem verè auream illam beatæ vitæ meſſem colligere, alacriter & copioſè ſeminemus, & vberiorẽ meſſem colligamus. Neq; verò magis iam quum ſerendum eſt, ſeminando fatigemur, quàm olim, quũ autumnus aduenerit, præſtantiſsimos fructus metendo & colligẽdo fatigabimur. Ergo Euangelij miniſtros omni ſtudio officioque complectamur, ac tanto quidẽ largius atq; liberalius quo quicquid in eos officij collocetur, vſq; ad ſcutellam aquæ, id nõ ſolùm multo maiore officio compenſabitur, ſed exiſtimabitur tanquam in ipſum Chriſtũ collocatũ. Chriſto autẽ, quem ad nos inuitauimus (ſiquidem eum valde gratũ ad nos veniſſe, & eũ vehementer à nobis amari teſtari volumus) non tantùm menſam inſtruere, ſed & amplecti eum, & exoſculari, &

caput

caput illi vngere, & lauare pedes, denique officiosissimè accipere tantum hospitem, & acceptum pro illius dignitate & nostri erga eum amoris abundantia tractare oportet. Atq; hoc quidem omnium hominum est. Reges verò, qui neminem paulo amplioris dignitatis virum nisi honorificè & magnificè, æquales autem suos augustiore quodam ac planè regio apparatu solent accipere, quũ Christũ Dominum, à quo regna sua tanquam vasalli feuda teneant, & terræ cœliq; regem accipiũt, quàm hic nihil debẽt parce, nihil auarè, nihil sordidè committere, quod tantum hospitem possit offendere? Ac potius quidẽ quàm hic omnia magnifica, splendida, augusta esse debent.

Neque verò hæc ita à me dicuntur, quasi per Christi nomen nihil immoderatè in Episcopos effundi posse existimem, aut illos qui cæteris hominibus continentiæ, frugalitatis & omnis vitæ moderationis exempla esse debent, huius mundi delitijs inebriari cupiam: sed vt legatos Christi liberaliter & honestè pro regis sui amplitudine

accipiamus,nec ad opilionum & baiulorum mensam relegemus, néue quum ita Deus nobis benedixerit, vt quisque sub oliua & sub vite sua in pace cõsideat,& messem atq; vindemiam propriã percipiat,ne,inquam, (q̃ Iudæum populum de Leuitis Moses admonuit)eorum qui in Dei opere laborant obliuiscamur,aut etiã illiberaliter atq; auarè cũ illis agamus,sed prolixè,benignè,liberaliter:vt de laborib.suis cõmodè & honestè viuant, familiã sustentãt, necessaria vocationi suę adiumenta cõparent, atq; adeo pauperes & egenos subleuare & iuuare possint. Hæc enim est certa iustaque conseruandi ministerij ratio, vt nec sordib. aut egestate vilescat, nec etiam nimia copia & luxu diffluens profanescat. Nam vt turpe ipsis Ecclesijs est Episcopos suos paupertate & inopia sordescere, ita periculosum, ne nimia affluentia atque copia luxurientur. Verè enim diuina & cœlestis vox illa fuit,& tanquam oraculum quoddam in omnem Ecclesiæ administrationem pronunciatum, quod Constantini Magni illius & pij Imperatoris temporib.

de cœlo auditum esse Ecclesiæ veteris historia commemorat, Ecclesiam diuitijs tanquam veneno infici. Sic enim effectum est vt à labore ad otiũ, à temperantia ad luxũ delapsi, pro Episcoporũ mediocritate dominorũ & principum magnificentiã & maiestatẽ affectarint.

Hinc enim est quòd regũ sceptra inaurato vel argẽteo pedo, coronam mitra imitabantur. Hinc etiam quũ principes in Republica viri amplum famulitium ad necessaria Reipublicæ tempora alerent, ipsi quoque suam quandã aulã habere, clientelis, famulorũ & seruorũ ingenti multitudine gaudere atq; delectari cœperunt, abacos vasis argenteis & auro facto exornare, vestib. splẽdidioribus indui, vt hodie non tantùm in aulis principum, sed & in media Ecclesia molliter indutos inuenire liceat: magnificos dominos & Κύριτας appellari, Regib. ad dextram & sinistram assidere, dona mittere, illos conuiuijs excipere, & aulico quodam splendore atque specie amplitudinem suam & acquirere & sustinere. Hanc verò Episcoporum conditionẽ non modò non opto

sed intolerabilem planè & nullo modo ferendam esse iudico : vt quæ illorum in Episcopali munere perfungendo studium & laborem impediat, mollitiem alat, libidinem, luxum, superbiam, ei mediocritati quæ in Episcopis elucere debet non conueniat, & Christi seruatoris atque Apostolorum cum institutis tum exemplis ex diametro repugnet.

Neq; vero meo iudicio vlla Ecclesia satis reformata dici potest, quæ nō hac etiam in parte se ad expressa Dei mandata conformet, omnem hunc inanem splendorē auferat, Episcopos mediocritate muneris sui contentos esse iubeat, non principes, sed pauperes, & ob Christū perfugos ad se inuitare, nō magnificos dominos, sed Christi seruos & ministros appellari: deniq; nō auro, argento, clientelis, seruorum multudine, & toto illo forensi splendore atque specie, sed pietate, doctrina, modestia, temperantia, continentia, totius deniq; vitæ moderatione insignes esse. Hæc Episcoporum vera ornamēta sunt, hæ infulæ, hæc insignia, quibus sibi ipsis honestum nomen, ministerio suo fidē & autoritatem

in Ecclesia Dei conciliare & tueri possint. Neq; verò huius pompæ specie atque pulchritudine capiamur, sed vsum requiramus: nec ostentationem, sed fructum desideremus. Siquidē vt grauiter Poëta, μὴ μοὶ τὰ κομψὰ ἀλλ' ὧν τῇ πόλει δεῖ, ciuitati autē & Ecclesiæ hoc splendore & specie nihil opus est, sed doctrina, pietate, simplicitate, modestia: qua ratione Christus regnū suum voluit propagari. Atq; quid autoritatis ad animū permouēdum habere possit magna sequentiū famulorū multitudine ad templū accedere, apparitorib. turbā summouentib. in cathedram ascendere, albis vestib. & quadrato pileo insignem, puluinis auro distinctis innitentem concionari? Oculos quidem hæc ad tempus afficiunt, & externi sensus hac inani specie capiuntur: sed animū sic facilius institui, percelli, recreari non intelligo. Illam enim efficere diuinæ cuiusdā virtutis est, quæ cum pura, docta, simplici Scripturarū interpretatione cōiungitur. Quas gemmas in cathedra elucere, nō auro & argento splendere oporteret.

Eleganter magis quam verè Plinius

ybertatis agrorum apud Romanos cau ſam oſtendens primis illis temporibus, tum quum ab Imperatoribus agri colebantur. Terra, inquit (vt credere fas eſt) gaudebat vomere laureato perſtringi, & à triumphali aratore coli lætabatur. Ad terram enim excolēdam acuto potius quàm laureato vomere, & diligenti quàm triumphali aratore opus eſt. Quod & idem autor ſeipſum corrigens, poſtea verius ſubiungit, ſiue (inquiens) illi eadem cura ſemina tractabant, qua bella, eademque diligentia arua diſponebant qua caſtra, ſiue honeſtis manib. omnia lætius proueniunt, quoniam & curioſius fiunt. Atq; hęc ead. mihi in agro Domini vbertatis & feracitatis cauſa videtur, ac tum demū vberrimos fructus & auream quandam meſſem colligi, quum diligenter & curioſe colitur, quum ſolicita quædam ſeminum ratio habetur, quum militari quadam & caſtrenſi cura Eccleſiæ diſponuntur, & ab honeſtis manibus laborantur. Nam nec terra laureā in vomere, nec in aratore trabeam aut togam pictā deſiderat, ſed curam, operam, diligentiam, ſolicitudinem,

dine. Nec in Episcopo suo Ecclesia speciem hanc forensem & externam pompam, sed fidem, industriam, laborem, ptiosa semina, & sedulas atq3 honestas manus: atq3 pio, erudito, fideli aratore magis quàm mitrato & albato delectatur.

Vnde & illis temporibus, quũ vt Romano ager Serranos & Cincinnatos, ita Ecclesia Paulos & Petros suos habebat, omnia lætius & fælicius prouenerunt. Nunc quantũ ab illorũ exemplo & labore discessimus, tantũ etiã Ecclesiæ nostræ ab illis Ephesinis & Antiochenis agris superantur. Quare piorum Episcoporum est, qui doctrina sua & pietate magis quàm hoc splẽdore Ecclesiæ inseruire & commendari volunt, qui sibi non ita pridem Euangelium omnibus huius vitæ commodis charius esse ostenderint, qui denique officio suo perfungi velint, vt quæ bene ab illis instituta & inchoata sunt, melius absoluant atque perficiant: vt pro reliquo etiam Euangelio, quod est de disciplina Ecclesiæ, iterum se illa pompa abdicare velint, & de Dei gloria, Ecclesiæ salute, & bona

ſua conſcientia magis quàm de fucato hoc ſplendore & inanibus nominibus conſeruandis ſoliciti, ad opus miniſterij reuerti, nec (vt Galatas monet Apoſtolus) in carne abſoluere quod in ſpiritu inchoarint.

Intelligo quidem quàm hoc difficile ſit perſuadere ijs, qui ſemel hoc Circæũ poculum deguſtarint. Verùm quũ hoc Dei mandatum, illorũ vocatio, & Eccleſiæ vſus poſtulet, illorum pietatis eſt, & vitæ in Euangelij profeſsione tranſactæ, omnia Chriſti & Euangelij cauſa relinquentes illũ quò ducat ſequi: & vt Euangelicæ doctrinæ nobis quodãmodo autores extiterunt, ita etiam & diſciplinæ exiſtere, & autoritate ſua atq; exiſtimatione, non ad Dei veritatem oppugnandam, ſed confirmandam & conſeruandã vti. Quod ſi verò aliqui (nam de multis bene ſperandum eſſe puto, ijs pręſertim qui alias reformatas eccleſias viderint) ſed ſiqui erunt qui auaritia aut ambitione, vel etiam quòd aulicum hunc ſplẽdorem in Epiſcopis tolerabilem eſſe putent, nullo modo ſibi perſuaderi patiantur, vt in ea mediocritate quæ decet

ect viros Dei, acquiescant: vel inuiti cogendi sunt, & ad primam germanã Episcoporum institutionem reuocandi.

Atq3 si istarum diuitiarum fontem, si originẽ quæramus, inuenietmus pfecto hanc tantam opulentiã Episcopos nullo iure aut obtinuisse primò, aut hodie retinere: nõ modò quòd nullo Episcopi munere fungantur, sed etiã quòd ea quæ aliorũ sunt, sibi vsurpant. Magna enim pars ex ijs bonis constat quæ primũ ad alendos pauperes conferebantur, quæ apud Episcopum tanquam eleemosyna quædã deponebantur, quam (vt ex veterib. Canonib. apparet) ex suo & collegarum consensu distribueret. Postea verò quum collegij autoritatem abrogassent, & soli omnia pro sua conscientia administrarent, sibi illa tanquam pauperibus (si placet) permiserunt, & ex aliorum incõmodis creuerunt & augebantur. Pars autẽ alia ad aliarum Ecclesiarum Episcopos & ministros pertinet, quæ ab illis ablata, per impropriationum, visitationũ & id genus reliqua nomina ad Episcopatus adiuncta est. Quæ ergo alia Ecclesiæ olim ad suos Episcopos

pos & miniſtros alendos contulerunt, quo tandem iure vſurpant? Quum verò pauperib. & aliarum Eccleſiarum miniſtris quæ ſua ſunt, reddiderint, ſi adhuc ſupra Epiſcoporum conditionem abundent, collegarum rationem habeant, qui pleriſque in locis, Eccleſiarum quibus inſeruiunt paupertate, rebus neceſſarijs indigent: vt tandem mediocri quadam & honeſta viuendi ratione contenti, ad ſua initia & orginem reuertantur.

Hæc autem oratio de Epiſcoporum pompa & affluentia minuenda, vt quibuſdam diſplicet, qui inde neſcio quam autoritatem Euangelio comparari exiſtimant: ita gratiſsima nonnullis eſt, qui ſuam cauſam agi putãt, & iampridem hęreditatem iſtam ſpe deuorarint. Nam quum illud tantùm agi arbitrentur, vt Epiſcopi ſpolientur, ſimilem ex illorum ſpolijs prædam expectãt, qualem olim in Monaſteriorum ruïnis conſequuti ſunt. De religione enim nihil ſunt ſoliciti, modò ipſi prædari poſsint: & vel Chriſtum ipſum iterũ (ſi fieri poſſit) crucifigi non curarent, vt tunicam

eius

eius sortirentur, & vestimenta diuiderent. Habet enim ætas nostra multos eiusmodi milites, multos Dionysios, qui Deo togam auream, neque ad æstatem neque ad hyemem commodam, sibi autem ad omnia tempora vtilissimã & commodissimam fore arbitrantur. Verùm si diligentius quid à nobis dicatur attenderint, hanc orationem nulla ex parte eorum cupiditatibus & auaritiæ ac rapacitati fauere intelligent. Nõ enim hic de Episcopis spoliandis agitur, non de Ecclesiasticis bonis diripiendis & indignissimo cuique diuidendis: quin contrà potius, vt paucorum affluentia multorum inopia subleuetur, Xenodochijs & Ptochotrophijs sustinendis, & (quod caput est) ministerio per vniuersum regnum stabiliendo consulatur. Vt ex hac oratione non modò nihil sit quod illi sperent aut expectent, sed potius & metuant, si fortè aliquando Ecclesiæ patrimonium vsurparint. Hæc enim aut restituant oportet, vt Ecclesijs de idoneis doctoribus prospiciant, aut seipsos tot animarum iactura Deo obligent, quot in ignorantia sua per

per eos doctores destitutę, periturę sint.

Sed qum satis copiosè (vt spero) hic locus tractatus fuerit, tandem quod instituimus concludamus. Episcopis ab Ecclesijs prouidendũ esse, & ea quidem mediocritate consulendum, vt nec egestate neque etiam opulentia à suis muneribus abducantur. vt nec paupertate sordescant, neq; diuitiarum affluentia luxurientur. Quod autem ad illud attinet, qua ratione potissimum hoc fieri debeat: sciendum est, quod sub Lege de decimis, sacerdotibus & Leuitis permittendis præceptum est, non ita præcisè nos ad decimas persoluendas adigere. Hæc enim politica lex Iudæorum fuit, quæ nos tantùm generali quadam ratione deuincit, vt nos quoque ijs qui in opere Domini laborãt, consulamus. Verùm vt necessariò ea vti non tenemur, ita si cui regno hoc ita commodum videatur, quòd huic rationi populus iamdiu assueuerit, aut alio quouis respectu ciuili atque politico vti quidem licet: modò illud teneamus quod suprà declaratum est, Episcopis commodè, & liberaliter, sine vllo eorum

labo-

labore, quo ab officio suo abducantur, consulendum esse. Atque quum Leuitas & Sacerdotes Dominus à suis muneribus abduci noluit, vt ipsi agros discurrerent, decimas æstimarent, domũ conueherẽt: quanto minus ministerij opus his molestijs impediri oportet?

Sed & præter hoc incõmodũ, nescio quid habẽt sordidi, singulorum agros, ne fallatur, æstimare, gregis ac armentorum & reliquarum rerum (ex quibus pro nostro more decimæ persoluuntur) numerũ fœtusq; cognoscere. Adde etiã, quòd hic aliquando necessariò ei cum auaris & peruersis hominibus pro suo iure litigandũ sit: quod in tali viro, præsertim in eiusmodi re, turpe & indignũ est. Vt si decimarũ rationẽ tenuerimus, magistratus hic autoritatem suam adhibere debeat: vt ab his molestijs liberi, toti Scripturæ legendæ, meditandæ, interpretandæ, deniq; officio suo perfungendo incumbant, & incumbentibus honestè atque liberaliter cõsulatur. Sic enim Ezechiam pium & illustrem Regem legimus autoritatem suã adhibuisse, primum vt sacerdotibus (sicut

in

in Lege præceptū erat) prospiceretur, post etiam, quum decimarum multos aceruos cumulassent, ad eam rationem pro illis in eorum vsum recōdendis ineundam, quæ sacerdotibus commodissima esse posset. Atque quanto honestius esset Christianis principibus, & ad pietatis sempiternam tandem in Ecclesia celebrandā glorioſius, Ezechiæ hac in parte exemplum imitari? Qui autoritate sua effecit vt (sicut in Lege Dei præceptum erat) Sacerdotibus & Leuitis cōsuleretur. Neq; id tantùm, sed singulari quadā curā & solicitudine prospexit, vt quæ liberaliter collata essent, ijs quibus oportebat diuiderentur: horrea & cellas ad maiorem sacerdotum opportunitatem extruxit: certos denique viros designauit, per quos Leuitis per vniuersum regnum dipsersis prouideretur.

Tales sibi maiores, & eiusmodi pietatis & virtutum exempla pij principes sibi ad imitandum proponant: ministerium non modo ipsi nō spolient, aut ab alijs diripi patiantur, sed illi liberaliter & seruatoris nostri instituto per vniuersum regnum prospici & prouideri sua

auto-

autoritate efficiant. Quæ verò collata sunt aliquando in hunc vsum, fideliter procurentur, non in aulicos luxus atque delicias, non in potentum principum seruos, non in alios ferè innumeros & impios planè atq; intolerabiles abusus sacrilega quadam licentia profundantur: sed ad Dei verbū per vniuersum regnum disseminandum, ad Dei cultum & religionem, ad sacrum ministerium stabiliendum atque conseruandum conferātur. Ita enim se tales esse ostendent, quales sub Christo reges futuros esse prædixit Isaias, qui nimirum Ecclesiā vt alumnā suam, tanquam nutritij quidā parentes alerent, fouerēt, tuerentur.

Sic ergo absoluta de Episcoporū fructibus quæstione, ad proximum locum, de illorum cultu atque habitu accedamus. Qui quum in duplici ferè varietate considerari solet, eo nimirum quo in sacris & quo in communi vitæ vsu vtendum sit: de vtroque in Euangelio nihil scriptum aut mādatum inuenimus, nisi quæ generaliter de modestia, sobrietate & honesta quadam cum hominibus viuendi ratione præcipiuntur. Quæ vt

ad cibos & ad ſupellectilem, reliquamque ferè vniuerſam vitam, ita ad habitū referri debent. Certum verò veſtimenti genus, forma, modus, nuſquam nō modò in quotidiana vita, ſed ne in ſacris quidem in Euangelio præcipitur. Ac ne ſub Lege quidem in communi vitæ vſu Leuitis & ſacerdotib. præſcriptum eſt, quomodo & quo habitu indutos oporteret incedere. In ſacris quidem, quæ in tabernaculo aut in templo obierunt, diligenter hoc & accuratè pro veteris inſtitutionis & diſciplinæ ratione deſcripta ſunt. Noſtris autem temporibus, quibus Dei gratia, veritatem ipſam atque corpus in CHRISTO ſeruatore noſtro habeamus, nihil iſtis vmbris, & imaginibus opus eſt. Hæc certorum temporum fuerunt: quæ quum DEVS obſeruari vellet, diſertè & accuratè omnem illorum veſtimentorum rationem atque formam in Lege deſcripſit, & legem illam grauiſsima mortis ſanctione, ſi quis eam violaret, confirmauit.

Ad nos verò hoc veſtimentorum diſcrimen, in ſacris obeundis nihil attinet,

net, non magis quam sacrificiorum oblationes & reliquarum ceremoniarum Legis obseruatio. Sed nec sub Lege nisi ad eos qui in tabernaculo aut templo ministrarent pertinebat. Neque reliquis qui per totam Iudæam dispersi verbum DEI in Synagogis interpretabantur, de certis vestibus quicquam præceptum erat. Quanto minus Euangelij interpretibus, & his temporibus, quibus aperto vultu (vt inquit Apostolus) DEI gloriam intuemur, velis & vmbris vtendum est? Ac si vtendum fuisset, non est dubium quin CHRISTVS Apostolos suos hæc de re monuisset: præsertim quum hæc in Lege tam prolixè descripta sint.

Non enim minus de Euangelico cultu Christum, quàm Mosen de Legali describendo solicitum fuisse: aut seruum filio in paterna domo administranda fideliorem esse existimandũ est. Episcopos ergo ad certam vestis speciem formamque astringere, Euangelij .i. diuini verbi nullo præcepto aut mandato nititur Hominum ergo hæc commenta sunt: & quorum hominum, nisi eorũ qui

meretriciam quandam ſuperſtitionum ſuarum turpitudinem, his coloribus & pigmentis operuerunt. Tanquam enim puduiſſet eos ſimplicitatis Euangelij, (quam potius reuereri debuerant) ex omni fere religione quicquid ſpeciem aliquam aut oſtentationem habere videbatur, ſibi imitandum eſſe, & id ad Euangelium ornandum adhibendum eſſe perſuaſerunt.

Ita ex Lege omnem fere illum Miſſaticum cultum, ſtulta quadam & ridicula imitatione transferebant: vt quũ altare & ſacerdotem haberẽt, veſtimenta ſcænæ non deeſſent. De ſuperpelliceo autẽ egregium eſt quod de Siricio Papa memoratur, qui eius cauſam à Chriſto repetit: & in ſacris lintea veſte vtendũ eſſe confirmat, quòd Chriſtus ſindone & lintea veſte obuolutus ſepeliretur. Egregia verò ratio cur ſuperpelliceo in tẽplis vtendum ſit. Niſi fortè rerum ſuarũ origines & antiquitates ignorent, potiuſque hæc à Monachis quibuſdam Egyptijs (qui ſuper pelles, quibus veſtiebantur, linteis veſtibus vtebantur: vnde ſuperpellicei nomen ductum eſſe videtur)

tur) ad eorum superstitiones translata sunt. Similes ferè rationes pro eorum reliquo apparatu in illorum commentarijs reperiuntur. Cæterum istas ineptias missas faciamus,& potius cõqueramur ex nostris aliquos inuentos esse, qui quũ totus Papatus execrãdus erat, & hæc Roma Ierichuntanæ illius vrbis anathemate deuouenda, Babylonicæ vestis specie & splendore capti, eam in Israëlitica castra transtulerũt. Cur enim cappam & superpelliceum in sacris, in communi vita liripipium (quod appellant) & quadratum pileum gerenda esse præcipiunt: nisi quòd hæc autoritatem quandam apud populum habere, & ministerium suum, atque adeo ipsas personas plebi commendare & ad grauitatem atque autoritatẽ valere existimẽt? Hæc enim vel optima ratio afferri solet, qua simul vtrumq; id genus vestiũ nec ad religionem præcipi significent, & abusu verũ vsum tolli, qui ad ordinẽ pertinet atq; decorem, (quo illud Pauli vel inuito Apostolo contorquent, omnia ordine in Ecclesia facienda esse) neque posse neq; debere confirment.

Verùm si hæc ad ordinem tantùm & decorum pertinèt, quum Episcopi, qui Ecclesiæ gubernandæ præficiantur, Apostolico præcepto debeant tales esse, qui non solum seipsos honestè in omni vitæ ratione gubernent, sed familiam etiam in officio contineant: quid opus est tali viro de liripipio aut quadrato pileo, vel certa togæ forma in communi vita vtenda, aut in sacris de cæpa & superpelliceo præcipere? Qui si verbum DEI tractare dignus sit, non committet vt sordibus muneris sui dignitatem dehonestet. Sed quum lectores & rhapsodas, non idoneos ministros & Doctores instituant, hæc nimirum illis præcipienda fuerunt. Quanquam nec sic quidem decorum illud obtinent, quod præ se ferunt. Sæpe enim nihil illis vestibus sordidius aut inquinatius videris. Quadrato autem pileo qui decoro vtitur, idem etiam rotundo æquè decoro, ac tanto quidem magis, quanto aptior illa forma est humano capiti, vteretur. Ergo ad decorum in communi vita conseruandum non necesse fuit hæc præcipi.

Sed

Sed distinguendi sunt pastores & Doctores ab Ecclesia, vt ab omnibus suis cognosci possint. Huius rationis eadem fere vis est quæ superioris. Si enim pastorem talem ouili Dei præficerent, qui oues suas voce tanquam pedo regeret, qui sermone ægris mederetur, & palantes in viam reuocaret, denique si verum pastorem, oues eius vocem agnoscerent, neq3 habitu admoneri opus esset. Ergo hæc ratio de mercenarijs valere fortasse poterit: veros autem & idoneos pastores non attingit. Quòd autem ad sacra tractanda suum etiam ordinem & decorum adhibent, cur magis decorum superpelliceo quàm toga, & albis quam nigris vestib. indutum concionari aut precari videri debet? Si enim de colore agitur, mihi quidem magis decorus niger color videtur: si autem de forma, talaris vestis honestior. Præterea etiam annon vident simplicitatem Christo placuisse? Annon Euangelium his vmbris quodammodo adumbrari? an nō etiam multis alijs ceremonijs eadem ratione inducendis viam patefieri? Annon & nos etiã vide-

re putant per hoc decorum nescio quã cum Papistis conformitatem & superstitiosum quoddam decorũ, vt in signo crucis, in baptismo, in pasta, in administratione sacræ Cœnæ, & alijs multis ceremonijs, non illud decorum Pauli nõ Apostolicum ordinem quæri? Si enim Euangelicæ simplicitatis nuditas illis displicuit, cur potissimũ Papistico habitu vestierunt? A quib. nos tanto magis recedere & abhorrere debueramus, quanto grauius periculum nobis ab illis quàm ab alijs hæreticis, quòd inter eos versaremur, immineret. Qua ratione etiam Dominus in Cananæos atrocius quàm in reliquos idololatras sæuiri voluit.

Sed admonebuntur omnes hæc ad alium quendam vsum atq; finem, quàm olim in Papistis destinari, abusu autem eorum rectum vsum non tolli: & quanquam Papisticum sacerdotiũ tanquam grauissima lepra sit, tamen ablutas vestes posse in nostrũ vsum adhiberi. Atqui, inquam, hæc quæ potissimum ex omnib. leprosis vestimentis delegistis, omnium inquinatissima sunt: & nulla fullo-

fullonum arte ablui possunt. Nam quū satis constet superpelliceo & quadrato pileo, tanq; quibusdā sacris, Papisticos sacerdotes initiari, capa autem etiam ad Missam canendā vterentur: quis qui ex Lege Dei inter plagā & plagā, inter sacrum & pollutū distinguere edoctus sit: non intelligit, atq; adeo videt, in his lepram effusam fuisse, & nō tantùm leprosi cōtactu sed suo etiam morbo immunda & polluta esse: ac propterea non abluenda sed cremanda, nec aquæ effusione purganda, sed ignis incendio consumenda? Quæ quum ita sint, & hæc lex de Episcopali habitu nullo non modò Scripturæ, sed ne sani quidē iudicij fundamento nitatur: tamen mirū est quàm acriter defensa, & quanta contentione propugnata sit. Ac horreo quidem meminisse acerbitatis illorum temporum, Ecclesias orbatas, Academias perturbatas, fidelissimos pastores, & doctores è suis sedibus pulsos, optimæ spei, summæ pietatis & doctrinæ iuuentutē ex collegijs profligatam, denique Dei mandata violata, vt hominum præcepta sancirentur.

Sed longiorem me in re non magni momenti fecerunt, qui vehementer tan quã de re grauiſsima, & quæ Dei mandato niteretur, laborarint. Quod quum longè aliter eſſe ex ijs quæ diximus, ſatis manifeſtè (vt opinor) apparet, ſtatuamus Epiſcopis neque in communi vita, neq3 quum ſacra adminiſtrant, vllum certum veſtimenti genus, formã, modum, præſcribendum eſſe, tantumque vt ſobrietatem, modeſtiam, honeſtatem cum in veſtibus tum in omni reliquæ vitæ ratione cuſtodiant, monendos eſſe. Quod ſi quis non fecerit, & à fratribus admonitus errorem ſuum non emendarit, magiſtratus autoritate corrigatur. Et de Epiſcopis quidem in genere hactenus. Nunc ſpecies ipſas perſequamur, & quid quiſque proprium & peculiare habeat explicemus.

Epiſcoporum verò duo genera ſunt: vnum doctoris, paſtoris alterum. Non enim confundenda hæc ſunt inter ſe, tanquam vnum idemq3 munus duobus nominibus ſignificetur: vt quidam hæc explicanda cenſuerunt. Quum enim ad

Ephe-

Ephesios ca. 4. Apostolus omnes Ecclesiæ ministros, quos Christus ad Ecclesiæ ædificationem constituisset, separatim recensеat, & Apostolos à Prophetis, Prophetas ab Euangelistis distinguat, non video cur non dicendum sit Pastores etiam & Doctores, vt nominum, ita munerũ varietate distingui. Quod etiam clarius apparet ex 12. cap. ad Romanos: vbi non nominib. tantùm, sed etiam χαρίσματα diuersorum munerũ proprijs distinguuntur. Varia igitur hæc & diuersa munera, quantumuis cognata & affinia, habenda sunt. Solos autem Pastores & doctores Episcopos esse, neque verbũ Dei (vt olim) ab alijs administrari in Ecclesia posse, aut oportere, longiore oratione ad probandum indiget. Verùm quũ dubium non sit, Apostolum ad Ephesios omnia munera quibus ministerij opus continetur, & per quæ Christus Ecclesiã suam ædificari voluit, recensuisse, quumq; illa Apostolorum & Euangelistarum prophetarumq; munera cessauerint: (vt quæ Ecclesiæ ad certũ tempus non ad perpetuam procurationem data sint) manifestum est, solus

los Episcopos & verbi Dei ministros in Ecclesia, Pastores & Doctores superesse. Vt autem illa temporalia fuisse clarius demonstretur, singulorum officia & naturam paulo altius repetamus.

Atque Apostolorū munus quale fuerit, ex ipsis seruatoris nostri verbis, quibus ad Apostolatum ordinat, satis apparet: nimirum vt in vniuerso mundo Euangelium annunciarent, & eos qui crederent baptizarent. Vt Apostoli fuerit non vni aut alteri prouinciæ, genti, nationi, sed terrarum orbi Euangelium annunciare. Itaq; Christus discessurus, Petro, & per illum reliquis Apostolis, non certū vnius loci, sed vniuersum gregem suum commendauit. Nam vt mirifica quædā Spiritus sui dona seruator noster in illos contulerat, ita maiora quoque munera & suscipere & sustinere voluit. Itaque non illis certa quædam iugera aut agellum aliquem, non vineæ partem, aut hæreditatis suæ descriptam portionem commisit, sed omnem agrum suum, vniuersam vineam, integram hæreditatem coli ab illis curarique voluit. Tales verò ex omnibus

Chri-

Christi discipulis duodecim tãtùm designati sunt, quib. postea Paulus & Barnabas adiuncti sunt: qui tanquam summi duces orbem terrarum sub Christi regno & Imperio subigerent, & totius Ecclesiæ quasi architecti figuram describerent, & prima initia atq; fundamenta ponerent. Quæ quum tanta procuratio imponeretur, egregia quædam dona, quibus tanto oneri sustinendo pares esse possent, collata sunt. Nam & incredibili quadam diuinarum rerum scientia atque cognitione, linguarum etiam infinita penè varietate donabantur: vt de 12 Apostolis in Actis narratur, & de seipso Paulus ad Corinthios testatur. Præterea etiam quædam huius officij propria adiuncta fuerũt, vt testes essent resurrectionis Domini, vt ἀμάρτυρος à Christo designarentur: & alia quædam. Quæ quum hodie in nemine sint, ac vix quidem esse possint, Apostolatum desijsse, neq; hoc tàm insigne & illustre officiũ in Ecclesia amplius remanere constat. Vnde & Iacobo interfecto, Apostoli, qui Iudę Matthiam surrogarunt, neminem in vacuum locum elegerunt: quod

nec postea reliquis Apostolis mortuis factum est. Vt planè totum hoc munus abrogatum esse constet.

Quod quum de Apostolis manifestũ sit, de Euangelistis etiam, qui tanquam vicarij quidam Apostolorum fuerunt, & Apostolis subseruierunt, intelligi debet. Euangelistarum enim illud officiũ fuisse in Actis apparet: vt eos comitarẽtur: quos illi, quum Ecclesiæ cœtum aliquem congregassent, & discessuri essent, præceptis instructos ad Ecclesiã moderandam & certis legib. constituendam reliquerant. Qui rursus composito Ecclesiæ statu, Pastoribus suis & Presbyteris eam permittentes, Apostolos iterum secuti sunt. Ita Apostoli tanquam Imperatores bella Domini gerentes, omnia superarunt: qui victoria adepta, Euangelistas post se tanquam maiores aliquot duces reliquerũt, qui deuictos, donec res essent paulo faciliores, tegerent, & Presbyteri tanquam perpetua quædam præsidia imponerentur, qui pacatis rebus & statu composito gubernarent. Illi enim superandis & vincendis, hi constituendis atq; moderandis,

dis, Presbyteri autem tuendis & conseruandis Ecclesijs instituti sunt. Ergo Euangelistarum illud munus, quum Apostolatus desierit, in Ecclesia non remansit. Prophetarũ verò munus etsi in Scriptura interpretanda versaretur, tamen cum extraordinario illo, & ad prima Ecclesiæ tempora magis necessario dono futura prædicendi ferè coniungebatur. Quod quum amplius in Ecclesia nõ vigeat, vnà cum ipso dono officiũ simul desijsse dubitari non potest.

Vnde concludere licet, quum tantùm Apostoli, Euangelistæ, Prophetæ, Pastores, & Doctores Ecclesiæ ad ædificationem & huius ministerij opus à Christo (vt Paul. testatur) concessi sint, tribus prioribus cessantibus, solos in Ecclesia perpetuos & ordinarios verbi ministros, Pastores & Doctores super esse. Extra ordinem quidem perturbatis & confusis rebus (vt nostris temporibus extiterunt) Deus aliquando quasi nouos quosdam Apostolos excitat, qui Euangelij lumine mundum illustrent. Et Eusebius etiam quorundam meminit, qui (vt inquit ille) ἐνθέῳ ξύλῳ ἀπο-

λῳ ἀποστολικῶ μιμήματ& ad Indos vsque Euangelium annunciarent. Sed de ordinario Ecclesiæ statu administrando loquimur: quale nostrum post tot annos esse oporteret. Itaq3 Paulus ad Romanos cap. 12. de hoc statu loquens, nō Apostolorum nec Euangelistarum neque Prophetarum meminit, sed Doctorum & hortatorum, hortatores pastores appellans: vt infra apparebit. Neque verò illa diutius in Ecclesia vigere necesse fuit: vt nec descripta forma ædificij, & iactis fundamentis, architectis, sed fabris ad exædificandum & excitandū ædificium opus est.

Atq3 in hac regni sui administratione seruator noster non dissimilem rationem ab huius mundi regibus sequutus videtur: qui, vt eo die quo imposita corona regni sui quasi possessionem accipiunt, posteaque ad aliquod tempus multos creant diuersorum munerum magistratus, qui nō solùm ad pompam & splendorem, sed etiam ad necessitatem & vsum regni adhibentur: qui postea rebus cōpositis, & regni statu confirmato abdicantur. Ita Christus Dominus

ius & rex noster quum in cœlum ascendens, & ad dextram patris collocatus, quasi possessionem regni sui accepisset, Apostolos & id genus reliquos magistratus creauit, qui omnes regni sui partes constituerent, certam & ordinariam rerum gerendarum & administrandarū rationem describerent atq; ordinarent: quibus constitutis se abdicarent, & eo certo ordine quem descripsissent, omnia regi & gubernari paterentur. Quare non est quòd in eo seruatoris nostri erga Ecclesiam suam amorem & solicitudinem imminutam, aut minus liberaliter & beneficè nobiscum agi existimemus. Nam neq; ea de causa subditi regis sui animum erga se mutatū aut voluntatē abalienatam suspicantur. Hæc enim certorum temporum sunt, & ad regni initia pertinebant: quæ videntur aliam quandam rationem quàm reliquum regni tempus postulare.

Itaque (vt in eodem simili perseuerem) quum in regnum suum inauguraretur, mirifica quadam copia, spiritualia cognitionis, prophetiæ, linguarum, sanationum, & aliarum gratiarum do-

na, tanquam auri & argenti missilia quædam in vniuersum populum suum effudit: omnes canales musto & dulcissimo vino, tubi & euripi omnes suauissimis & rosas atque aromata redolentibus aquis decurrebant. Hodie verò etsi liberaliter & abunde omnia nobis largiatur, tamen illam summam liberalitatem atque beneficentiam, qua inaugurationem suam quodammodo ornare voluit, non experimur. Quare ea liberalitate quam Dominus erga nos exercet, contentos nos esse decet, neque parem semper eius beneficentiam expectare. Eadem de perpetuis & ordinarijs verbi administrandi ministris ratio est: quibus nos contentos esse oportet, nec illos primos & extraordinarios atq; ad certum tempus constitutos desiderare. Vt enim extraordinarijs Ecclesiæ temporibus quædam etiam extra ordinem liberaliter cõcessa sunt, ita de ijs quæ perpetuum & necessarium in Ecclesia vsum habuerunt, abundè nobis & beneficè prospectum est. Hac ergo mediocritate contenti, quæ concessa sunt, ijs vtamur: & neque in perpe-

perpetua conditione Ecclesiæ temporanea munera, nec in ordinario statu extraordinaria quæramus. Quamobrē Pastores & Doctores in Ecclesia nostra constitui oportet, neque extraordinarium concionatorum & prædicatorum munus retinere.

Quod verecundius quidem, propter multos illustres viros, qui cum aliquo fructu in hoc genere laborarunt, reprehendo: & aliorum negligentia factum esse intelligo, qui Ecclesijs de idoneis pastoribus non prospexissent, vt earum amore liberam hanc & tāquam Apostolicam aut Euangelisticam annunciandi Euangelij legationem obire his temporib. sibi licere existimarent. At verò potius illa plenior atque purior Ecclesiæ reformandæ ratio vrgenda fuit, & ex verbo Dei contendendum, singulis Ecclesijs de idoneis pastoribus prouidendum esse, nec hæreditatem Domini diutius incultam & desertam relinquendam: ne fortè commotus aliquando Dominus eam à nobis auferat, & alijs fundū suu arandum colendumq; collocet. Quod si quib. tātopere placet

ita per omnes Ecclesias discursatio, & Apostolorum atq; Euangelistarum exemplo hoc sibi licere contendunt, probent nobis se esse Apostolos: vt quæ illis permissa sunt, sibi etiam licere confirment. Apostolorum signa & σφραγίδας in eorum Apostolatum inquirentib. (vt olim Paulus) ostendãt: Apostolicis scientiæ, cognitionis, linguarum, sanationum & miraculorũ donis se instructos & donatos esse confirment: literas liberæ ad omnes Ecclesias legationis proferant: Deum ἀμίσσου vocationis suæ autorem esse demonstrent. Nam non modò vnus Episcopus, sed ne omnes quidẽ orbis terrarum Episcopi Apostolũ ordinare possunt. Quòd si verò Apostoli non sunt, quum Apostolorum munus desijsse ex his signis & argumentis appareat, ne Euangelistę quidem esse possunt: quũ hi Apostolorum, tanquam præsidũ aut proconsulum legati fuerint, & Apostolis quodammodò (vti diximus) in seruierint. Prophetas verò se, quum futura non prædicant, nullo modo affirmabunt. Quinetiam illos omnes Ecclesias isto modo discursasse non legimus, vt

etiam

etiam certis locis constitisse videantur.

Quamobrem extraordinarias vocationes ex ordinario Ecclesiæ statu remouentes, certam rationem, quam Dominus præscripsit, teneamus: Pastores & Doctores Ecclesijs designentur, qui soli verbi Dei perpetui & ordinarij ministri ad Ecclesiæ ædificationem ordinantur.

His ergo ita constitutis, quod sit singulorum munus, & quàm latè pateat, videamus. Ac primò de Doctorib. agamus: quorum muneris natura prior atque simplicior est. Doctores igitur appellamus Episcopos, qui in sacra doctrina simpliciter explicanda & docenda versantur. Hoc enim videtur fuisse munus doctorum, vt sine illis aculeis quib. hominum animi aut excitantur, aut reprimuntur, simpliciter ex Dei verbo docerent, quid de Deo & illius cultu sentiendũ, quid de Christo, quid Lex sit, quid Euangeliũ, quæ huius vitæ regula, quæ futuræ spes & expectatio: deniq; quid de tota religiõe cogitare & sentire oporteat. Nam quum Paul. doctoris officium doctrina definiat, & adhortationes alteri muneri attribuat: hanc sacræ

doctrinæ quasi magistrã & summæ religionis interpretem quandam esse videtur ostendere. Cuius officij quantus & quàm multiplex vsus in Ecclesia sit, facilè intelligemus, si quanta sit copia stupidorum, & religionis prima initia atque fundamenta ignorantium, reputauerimus. Quod quum Christiana Ecclesia & Euangelij professione indignum sit, tum ipsis ignorantibus periculosissimũ vt DD. quos hodie iustos & legitimos paucos habemus, Ecclesijs & præcipuè rudioribus docendis & instituendis comparentur. Nunquam enim, vt mille modos excogitemus, Ecclesiæ ædificationem promouebimus, nisi his tantùm machinis & ferramentis, ijs fabris atq3 artificibus, quos Dominꝰ ipse ad opus suum faciendũ destinauit. Cum his enim benedictio Dei coniungitur: quæ nõ modò abest ab ijs quæ nobis ipsi fingimus, quantumuis magnã specie & splendorẽ habere videantur: sed cõtrà, pro benedictione maledictio incũbit.

Verùm vt ad Doctores redeamus, in vetere Ecclesia ad instituendos rudiores in doctrina fidei adhibebantur. Sic enim de Alexãdrina Ecclesia narrat Eu

sebius, quum ob persecutionem pleriq3 aufugissent, neque quisquam ὡς κατηχήσων ordinaretur, Origenem tum 18. annorũ iuuenem illustrissimorum & clarorum quorundam virorũ rogatu, hoc munus suscepisse. Cũ quo etsi primũ Gramma tica quædã & alia προπαιδεύματα coniungeret, postea tamen intellexit hæc ad su um officium nõ pertinere: & Scripturarum interpretationi, atq3 rudiorum in religione institutioni se totum tradidit. Cui post in eod. munere Hercules quidam successit, quem ille sibi antè ad rudiorum institutionem adiũxerat, & qui tandem ex doctore in pastorẽ & Episcopũ eiusd. Ecclesiæ delectus est. Ex quib. videtur posse colligi, in vetere Ecclesia ordinariũ hoc officiũ fuisse, & in Ecclesijs cõstitutis præter pastores & Episcopos, alios quosdã doctores designatos, qui in Scripturæ interpretatione & institutione rudiorum versarentur.

Noster verò doctoratus, qualis in Papatu fuit, & vt adhuc retinet, qualis sit & vnde fluxerit, aut cuius omnino vsus sit non intelligo. Non. n. in certis Ecclesijs verbum Dei interpretantur, verũ & ger

manum Scripturæ ſenſum explicant, rudiores inſtituunt: ſed in Academijs otioſi & oſcitantes deliteſcunt. Nam ne in Academia quidē officij alicuius aut legitimi muneris in Eccleſia nomen eſt ſed nomen tantùm atque titulus honoris, & commendatio quædam ſcientiæ Theologicæ: vt maioris ambitionis & gloriæ quàm vſus atque fructus eſſe videatur. Paſſonē quendam ſtatuarum fabricatorem fuiſſe ferunt, qui Mercurij ſtatuam ita fabricauit, vt intus foráſue eſſet Mercurius neſciretur. Tales Mercurios nobis Academiæ formant atque fingunt, quorum ſcientia intúſne an foris ſit, intelligi non poſsit: nulla enim ἑρμηνέια probat eos ἑρμᾶς eſſe. Neſcio quæ inanis contemplationis vmbra hæc & imago eſt, quum Chriſtianæ religionis ſit, dona quæ à Deo accepimus, in communē toti corporis vſum vtilitatemq; conferre. Quamobrem iſti Paſſonis ἑρμᾶ in Eccleſijs & excelſo atque perſpicuo loco collocandi ſunt, vt ſermo & oratio Mercurium comprobet.

Neque verò ferendum vt theſaurum Domini ſub terra defodiant, lumen ſub modio

modio occultent, & tanquam Aſpendius ille citharista intus ſibi canant. Eccleſijs tanquàm candelabris præclara iſta lumina imponantur, vt nō ſibi tantùm, ſed familiæ luceant. Exponatur hic Domini theſaurus argentarijs, vt quū venerit, caput ſimul cum fœnore accipiat. Eccleſijs deſignentur, rudiores inſtituere, Scripturas interpretari iubeantur, & Dauidis melioris citharœdi exemplo, manè ad canendum experrecti, citharam vnà excitent & euigilent, diuites, pauperes, omnes ordines conuocent, & Eccleſiæ non ſibi ſolis, canant, ac res grauiſsimas ac planè cœleſtes diuinis ſonis atque modis illuſtrent. Ad actionem & vitæ vſum hęc cognitio referatur: doctori cathedra collocetur, diſcipuli dentur quos inſtituat, & timorem Dei atque ſacram cœleſtium & diuinarum rerum cognitionem erudiat. Cathedram autem intelligo in qua ſedens doceat atque inſtituat, non in qua ſegnitiei & otio ſuo indulgens dormiat atque otietur. Mirabile verò hoc iure videri debet, quum maximè illis laborandum ſit, tum præcipuè otiari: & quū

è portu ſoluendum eſſet, tanquàm in portum appuliſſent, genio ſuo indulgere. Vbi enim ſemel ſine cognitionis & & ſcientiæ, ſine temporis & ætatis beneficio doctores creantur, tum neſcio quas immunitates à laboribus, honorum & dignitatum prærogatiuas, beneficiorum cumulandorum priuilegia conſequuntur, vt quaſi emeriti quidam milites rude donari aut in doctoratum, tanquam in portum aliquem, appuliſſe videantur. Hæc ergo nobis reformanda & corrigenda ſunt, & diuino inſtituto doctrina à doctore requirenda.

De examinatione verò non neceſſe puto plura dicere, & quia ſuperius nobis multa hac de re generaliter dicta ſunt, & quia non multum hîc in legibus & ſtatutis, ſed negligentia & bonis legibus non bene exercendis peccari ſolet. Ac ne de electione quidem quam ab Academia factam, & tot doctorũ ac clarorum virorũ conſenſu cõprobatam, non improbarim. Ordinationũ verò tot ineptias quot hic ſolent adhiberi, quæ ſuperius de Epiſcoporum ordinatione dicta ſunt, abunde refutabunt. Atq; hęc

de

de doctorib. Ad quē ſermonem etiam à nonnullis & locus ille de ſcholis, Academijs atque collegijs referri ſolet: quòd illa doctorum & diſcipulorum, prophetarum & filiorum ſuorum imaginem quandam & ſimilitudinem referre videantur. Insignis quidē locus, & ad tractandum propter varios ſcholarum, collegiorum & Academiarū abuſus per neceſſarius: ſed amplior quā vt hoc ſermone abſolui poſſet. Separatum.n opus requirit: quod ſpero equidem, quum in vtraque Academia tot in omni genere nobiliſsima quotidie ingenia oriantur, aliquē ex hoc erudito muſarū choro præſtiturum. Ac inſignis quidē & excellentis viri labore dignum eſt, Academiarū vſum docere, & ad verum illū finem reuocare: vt quum reliquis omnibus præclaris artibus atque ſcientijs, tum Theologiæ in primis conſeruandæ illuſtrandæque inſeruiant. Quæ niſi in Academiarum aris diligentiſsimè à doctoribus cuſtodiatur, vt ille ſempiternus focus & ignis cœlitus demiſſus à Leuitis olim aſſeruabatur, breui certè accidet quod & ſuperioribus ſeculis

lis accidisse vidimus, vt ad omnes Ecclesiæ vsus nefarius ignis adhibeatur. Tales sacra historia, Bethulea, Ierichuntana, Ierosolimytana Academiæ fuisse memorantur: quæ quũ extinctum hũc ignem esse, (vt & nostris temporibus factum est) omnes ferè desperarẽt, scintillas quasdam in cineribus fouebant, è quib. post diligenter ἀναζωπυροῦντι, extinctam penè religionem accendebat. Ac tales quidẽ hodie Academias haberemus, quæ vt extinctam accendere, ita accensam alere & fouere possent, atque adeò vehementius inflammare: si Prophetarum filij Scripturæ legendæ, meditantæ, interpretandæ incumberent, vt illos ex Samuelis collegio fecisse memoratur.

Nunc verò Academias otiũ pro labore, pro pace & honesto otio, contentio bonis studijs inimicissima: pro pietate & timore Domini, religionis neglectus ac penè contẽptus, & profusa quædam in omnem luxum & libidinem licentia inuaserunt. Ac horreo quidem cogitare ipsas Musarũ ædes tam à Musis alienas esse, & hæc spatia à forensi

strepitu remota (vt liberiori animo honestis studijs vacaremus) clamoribus à turbulentis ingenijs excitatis perstrepere, & mutuis odijs, iniurijs, contumelijs, vindictis perturbari, atq; adeò ipsa religionis templa, aras sanctitatis, pietatis sacraria profana fieri. Quid illos nobilissimos heroas, qui amplissimis sumptibus collegia fundarunt, vt cultus Dei, vitæ sanctitas ab his fontibus in vniuersam Ecclesiam manare possent: quid (inquam) si in vnum congregati ex illa æterna domo, collegia sua despicerent, dictutos esse existimamus? An non putamus eos apud se inuicem conquesturos, collegia sua tanquam castra quædam inimicitiarum & simultatum facta esse? & quæ illi diuini mellis Aluearia esse voluerunt, in ijs innumeros fucos iam exortos esse, qui non modò ipsi nihil colligant, sed aliorum sedulitatem improbent, & vexare eos nunquã desinant, donec aluearibus suis pepulerunt? Quid si hic siue de Oxonienſis Academiæ sanctis Episcopis, siue Cantabrigiensis illustrissimis regibus fundatoribus aliquem excitarem?

Quid

Quid ſi illum tanquam Herculem in Heroum numerum vltimũ in hunc ſenatum relatum, Henricum octauũ, qui cęterorum nomine (quòd poſtremus ſit) cum Academijs agere poſsit: quid illi reſponderent conquerenti, quæ ad bonarum literarum honeſta ſtudia ampliſſimè & munificentiſsimè collata eſſent, ad otium luxumq; conuerti, apũ alueos in fucorum latibula, oſcitantium & ſtertentium monaſteria hæc eſſe, non ſtudioſorum collegia? arbores non modò ſteriles, ſed ex ſuccreſcentibus plantis peſtifera quadã vmbra noxias in ijs locis eſſe, quæ illi pretioſiſsimorũ fructuum pomaria & πμιώτάτων φυτῶν φυτεύτήρια eſſe voluerunt. Academias ſacri per totum regnum miniſterij ſeminariũ eſſe oportere: nunc vix aliquot annis vnum tanto muneri gerẽdo idoneũ in eccleſiã emitti? Debere quidẽ Perſicũ illud malum (de quo eſt apud Theophraſtum) imitari, q̃ omni anni tẽpore germinat, floret, fructificat, & ſimul cũ alios maturos fructus edit, tum eod. tempore alios germinantes & nouos ſuccreſcentes habet: vt quoſdã ſemp miniſterio Eccleſiæ obeun-

bebũdo idoneos & iã maturos habeat, alios verò matureſcẽtes & germinãtes: nunc nec maturũ fructũ ab arbore decidere, nec magna vbertate efflorẽſcere? Triſte illis ſpectaculũ eſſe, videre minimis de cauſis inflãmatas Academias, & tanq̃ qui poſſeſsiões & agros ſuos vaſtari & incendi videãt, ita ſe electos ex Academijs viros bonos, illuſtres, piã & eruditã iuuẽtutẽ ſedib. ſuis pulſam, ſcholas clariſsimis doctoribus orbatas, collegia ſingulari ſpe, ſummæ virtutis & doctrinæ adoleſcentib. ſpoliata, expectatione ſua Eccleſiam fruſtratam intueri? Quare ſi Deum omnium bonorum autorem diligerent, aut ijſdem bonis abutentium vindicem & vltorem pertimeſcerent, ſi ſe patronos & fundatores agnoſcerent, & eorum autoritate regi vellent, contendere & odiſſe inuicem, ac mutuis odijs inter ſe concurrere deſinerent, otio profligato, & pulſis de aluearibus fucis, de negotio cogitarent, optimarum artium & linguarũ ſtudijs incumberent, ſacram Scripturam meditarentur, in ea ſe tanquam Prophetæ & Prophetarum filij exercerent, cogi-

tare ne

tarent Ecclesiam ab earum vberib. pendere, diuinum cœlestis doctrinæ lac & Petri illud λογικὸν ἄδολον γάλα appetere: idoneos religionis interpretes singulis annis magno numero in eius vsum appararent, plenioris reformationis autores essent, & rectè semel constitutam rationem constanter tuerentur. Hæc & Deo omnium autori, & illius fundatoribus gratissima futura esse, & Academiæ nomine ac professione nostra dignissima. Hæc & huiusmodi si audiremus, an nō pudere nos deberet tam graue m reprehensionē fuisse promeritos?

Quanquam verò Henricum octauū aut ex reliquis heroib. aliquem sic nos alloquentem non audiamus, tamen nihilo minus re ipsa nos affici oportet, quum hæc verè nobis obijci exprobarique possent. Quod tamen de omnibus dictum nolo: scio enim multos esse quales optamus. Ac plures quidem sine dubio futuri essent, si Prophetarum filijs Samueles, Eliæ, Elizæi præficerentur: qui cum discipulis suis conuersari, illorum exercitijs interesse, conatus adiuuare & promouere possent, atq; exem-

plo

plo suo ad omnem scientiam, pietatem zelum, laudem omnem formare atque effingere. Tales verò Samuelos, Elias, Elizæos si Academiæ nostræ multos haberent, Doctores & Pastores Ecclesijs appararentur, studiosorum multitudo cresceret & augeretur, ab his fontibus riuuli in omnes regni partes emanarent. Quod quũ longe secus sit, nos hæc moderate perstringentes, & tãtùm morbum leuiter indicantes, de remedio adhibendo primum quidem ipsum Deum Academiarum quasi præsidem & cancellarium summum omnibus votis obtestamur: post etiam magistratus, qui illius nomine nobis imperant, vt solicite de Academijs reformandis, & ad verum vsum restituendis cogitent: vt quũ reliquarum optimarum scientiarũ studijs, tum Theologiæ in primis ac sacro ministerio conseruando illustrandoque inseruiant.

Sed hæc de Doctorib. & omnino de scholis atque Academijs dicta sufficiant, nunc dicamus de pastoribus. Quorum munus etsi Doctoribus cognatum & affine sit, tamen alia quædam non mi

nora neque minus neceſſaria comple-
ctitur. Paſtorem ergo dicimus eſſe Epi-
ſcopũ, qui Scripturas ad omnes Eccle-
ſiæ vſus atq3 tempora accõmodat, & fi-
delib. ſacraméta adminiſtrat. Paſtores
enim Apoſtolis, quod ad eorũ munus in
Eccleſijs ſuis gerendũ attinet, & quadã
etiam ratione Legis ſacerdotib. ſucceſ-
ſerunt, quum Doct. magis Prophetas &
Leuitas referre videantur. Itaque Pa-
ſtores non tantũ verbũ, ſed & ſacramen-
ta adminiſtrant: & quã ſermone ſalutẽ
prædicant, eandem teſſeris quibuſdã &
quaſi ſigillis obſignant. Hæc. n. ſacramẽ
torum natura eſt, vt promiſsiones quo-
dãmodo obſignent, vt eas ſub ſigno tuti
us ſeruemus, & ſecurius poſsideamus.
Quamobrẽ paſtori, cui ꝓmiſsiones Dei
annuntiandæ & declarandæ, & quaſi ſin
graphæ ſalutis noſtræ conficiendæ com
mittuntur, ſigilli etiam & ſigni adiungẽ
di poteſtas datur. Sic enim Apoſto. ſuis
Domino præcepit vt prædicarent Euan
geliũ, & credentes baptizarent. Quam-
obrem ſacramentorum etiam admini
ſtratio ad Paſtoris munus pertinet, at-
que ita ad paſtorem, vt nemo alius hoc

in

in se debeat suscipere q̄ Dominus alteri cōmisit & sibi arrogare debeat. Quantum ergo illud crimē esse, & quā grauiter ab ijs peccari existimamus, qui necessarijs (vt appellāt) temporibus, etiā fœminis baptismum periclitanti infanti, & grauiter atq; dubiè ægrotanti ministrare permittunt? In quo cum grauissimè errant, quòd non ex p̄missione, sed etiā ex sacramento salutē nostrā pendere arbitrantur, & sacramentū sine verbi prædicatione ministrari permittunt: tū etiam quòd autoritatem quā pastorib. Dominus concessit, non modò ad priuatos, sed etiam ad fœminas & obstetrices transferunt. Cuius facti errorem cum superius abūdè coarguerim; in eo rursus exagitando non immorabor.

Præter sacramētorū verò administrationem, etiam in ipso verbi ministerio illud pastorū maximè propriū & peculiare est, vt ad Ecclesiæ vsum Scripturas accōmodent, & pro ratione temporis corrigant, corripiant, reprehendant, deiectos erigant, frangāt contumaces, adhortationes, dehortationes adhibeant, pios p̄missionū expectatione cōso-

lentur, impijs iudicium denuncient, & minarum quasi fulmine deterreant, quo tanquam de cœlo tacti conflagrent: denique alios quasi in cœlos euehant, alios ad inferos vsque deijciant. Quæ omnia Paulus σωτικῶς vna tantùm consolationis specie expressa ad Rom. significat. Ad Timotheum verò hæc omnia explicatius disserit, quē prædicare verbum Dei, arguere, corripere, adhortari iubet.

Quod tam graue & tam multiplex officium quum pastoribus incumbat, non modo ἀδιδάκτους & ineptos ad docendum ab hoc ministerio arcendos esse (nā id superius disseruimus) sed quàm leuis illa defensio sit, quæ pro illis afferri solet, doceamus: eorum nimirum defectum aliorū industria suppleri, quum de maximè necessarijs Religionis partibus, homilias apud populum de scripto recitant. Non disputabo hoc loco contra homilias, neque quanta hic Dei verbo fiat iniuria, vt hominum scripta Ecclesiæ recitentur, aut quàm periculosum sit hanc occasionem dare alia etiam piorum scripta, conciones, martyrum

tyrum historias, & tandem illos Papatus abusus in Ecclesiam reducendi. Hæc enim alio pertinent. Illud ostendam, quum pastoris sit Scripturæ doctrinam ad vsum Ecclesiæ applicare, homilijs legendis indoctum pastorem non excusari. Quæ quum mutæ sint, & tantùm quod multo antè dictatum sit loquantur, Ecclesiæ morbos neque cognoscere nec curare possunt Hoc ergo nomine ne indoctorum pastorum ordinationē putemus excusari nec homilias tanquā Delphicum quendam gladium, qui ad omnes vsus accommodetur, omnibus Ecclesiæ temporibus satisfacere. Multa hîc & recondita scientia opus est, vt varietatem temporum, rerum, personarum pastor cognoscat, & pro illa varietate atque differentia alia atque alia ratione vtatur. Non eandem rationem pastor in ægroto & confracto curando sequitur, & medici alios diæta alios pharmacis, alios chirurgia curant. Ita neq; pastores nostri, ista vnica homiliarum legendarum omnibus Ecclesiæ necessitatibus poterunt occurrere. Multa illi ad hanc medicinæ professionem her-

barum genera cognoſcenda ſunt, multa florum, radicum etiam & aliarū rerum infinita quædam varietas. Deniq; vniuerſus Eden & totus hortꝰ Domini per noſcendus, vt quæ deiectos & tanquam phthiſi quadā laborātes inſtaurent, quę plenis & redundantib. purgandis & exhauriēdis apta ſint: deniq; quid cui rei curandæ propriū ſit, & qua ratione, modo, tempore applicandum & adhibendum eſſe intelligat.

Quod hominū ſalutē ꝓcurandi tam neceſſariū & pręclarum officiū atq; omnino omniū quæ ſub cœlo ſunt optimū & præſtantiſsimū, Deus bone, quàm infinitis pene modis profanatur? Adeo vt hodie ferè nihil aliud ſit paſtorē ordinare, quàm preçū & certæ liturgię recitatorem & lectorē conſtituere. Neq; verò hoc tantum fit inter plebē, ſed in media Academia, in ipſis ſcholis & collegijs: vnde tanq̄ à ſacris quibuſdam fontibus reformatio peti deberet, illinc, illinc (inquam) hui⁹ profanationis & ἀταξίας turpiſsima exēpla manant, & in vniuerſum regnū deriuantur. Si vtranq; Academiā perluſtremus, quæ ſchola, q̄ gym

na-

nasium, quis doctor. hominũ cœtus atque conuentus iustũ & legitimũ pastorẽ habet? Sed aut capellanus aliquis (vt appellant) vel etiam plures ad liturgiam certis & statis horis legendam conducuntur, aut ipsi collegiorum socij iuramento astricti ad ministeriũ certo tempore capessendum, eam recitant. Vnde etiam fit vt aliquando in eod. collegio decem aut duodecim eiusmodi pastores reperiantur. Pastorem verò qualem ex Dei verbo descripsimus, vix aut ne vix quidem vnum inueneris.

Præterea verò & illud in pastoris officium peccatur, quòd specie quadam iustioris examinationis faciendæ, non simul & semel pastorale munus confertur: sed nescio quibus gradibus in hanc cathedram ascenditur: vt Diaconũ primo (vt appellant) ordinari necesse sit, id est, precũ habendarũ & legendæ Scripturæ, non etiam cætera peragendi potestatem accipere. Quo officio ad annũ vnum quũ perfuncti sunt, tand. ad plenũ pastoris munus & officiũ admittuntur. Quod vt à Papisticis ordinationib. translatum esse satis sentio, ita qua Scriptu-

ræ autoritate nitatur nō intelligo. Quin contra potius cum expreſſa Scripturæ ordinatione repugnat: quæ aliū nullum aſcenſum ad hoc munus parat præter anteactæ vitæ, in quocunque munere verſatus fuerit, pietatem atq; integritatem, & ſacræ doctrinæ ſcientiam: vt per omnia Eccleſiaſtica munera tandem ad hæc peruenire non neceſſe ſit. In quo etiam putida quædam diligentia fuit in Syluestro Romano Epiſcopo, & alijs, qui per omnes illas Eccleſiæ curationes quas ipſi ſibi finxerāt, quaſi per ſcalarum gradus quoſdam, tandem ad paſtorale munus peruenien dum eſſe ſtatuerunt: vt acolytus vigeſimo anno ſit, 26 Diaconus, & ita deinceps, vt tandem 50 aut 60 fere anno ad miniſterium admittatur. Hæc ergo humanæ vanitatis cōmenta relinquamus, & quam ab Apoſtolis certam rationem habemus, teneamus. Iuſta & legitima vitæ & doctrinæ examinatione habita, ad miniſterium, hoc eſt Epiſcopatum, admittatur: ne diſcerpto iuſto paſtoris officio, tot noua munera in Eccleſiam Dei, ſine illius verbo, noſtro arbitrio in-

duxiſſe,

duxisse, in quot partes & membra vnũ hoc munus distraximus, existimemur. Quæ verò in pastorum & electione & ordinatione peccari solent, superius suo quæque loco attigimus, neque hic illa repeti necesse est.

Quare vt omnem hunc locum de Episcopis concludamus, extraordinarijs muneribus sublatis, & abrogata Episcoporum pompa atque tyrannide, quale illorum officium in verbo Dei declaratur, tale à nobis accipiatur & exerceatur. Verbi Dei hoc ministerium esse nõ huius vitæ negotiorum meminerimus. Per vniuersum regnum, omnium quæ in terris sunt, & ad Dei cultum atq; religionem, & ad hominum salutem maximè necessariũ munus ordinetur. Cẽsu habito & abdicatis parum idoneis, viri pij, docti, idonei ad illa munera deligãtur. Illa fideliter obeuntibus atque gerentibus, cõmodè & ad necessarios huius vitæ & perfungendi officij vsus abundè & liberaliter (sicut Dominus mandauit) consulatur. Examinandi, eligendi & ordinandi rationem ex Scripturis petamus. Doctores ad docendum in-

terpretandum, instituendum, pastores ad sacramenta administranda & doctri nam ad cõmunes vitæ vsus atq3 Ecclesiæ tempora accõmodandam in Ecclesijs ordinentur. Vt correctis errorib. ac ad Dei verbũ reformatis, iustus & legitimus ordo ministerij, qualẽ Dominus instituit, (sicut hos ministerij fines esse notat Apostolus) stabiliatur: vt Christo ordinationi suæ benedicente, corpus eius (quod est Ecclesia) ædificetur, & sancti καταρτίσθωσαν.

Nunc ergo absoluta altera parte Ecclesiasticorum munerũ, quã in Episcopatu & verbi ministerio posuimus, ad reliquã (quæ de Diaconis supereſt) veniamus. Verũ vt in hac quoq3 parte ordine quodã atq3 via progrediamur, primum dico, Diaconos à Paulo 1. ad Tim. c. 3. & cæteris locis ead. de re à me ante citatis, appellari, quicunq3 munus aliquod in Ecclesia, quod sermonẽ nõ attingeret, procurarent. Sunt enim & aliæ quædã curæ ad Ecclesiam conseruandã necessariæ, præter verbi & sermonis ad ministrationem: quæ quales sint, postea videbimus, Sed quæ nisi ad totius corporis

poris constructionē necessaria quædā adiumenta afferrent, nunquā profecto fuissent à sapientissimo Ecclesiæ suæ gubernatore Iesu Chri. institutæ. Quod si ita sit, cur totū hoc Diaconorū genus in Ecclesia nostra desideratur? Vnde nihilominus atq; adeo magis tam insigni necessariarū partiū defectu deformat, quā ea non necessariarum otiosa redundantia, quam superiori in parte ostēdimus. Neq; enim hic aut cancellarios suos, & id genus reliquos, quos nullā legitimā functionem in Ecclesia exercere antè conuicimus, neq; ædituos (de quibus postea dicemus) cōmemorent. Ecclesiasticos enim Diaconos, qui ꝑ Dei instituto legitime delecti, creati, ordinati sunt, desidero: non viros politicos, qui aliquid eiusmodi magistratus autoritate administrant. Sed hæc qualia sint, postea plenius paulo videbimus.

Hic verò humani ingenij audaciam satis mirari non possum, quæ Dei in sua familia regēda οἰκονομίαν ꝑturbans, alios præter eos qui ab ipso cōstituti sunt ad alienæ domus, eius ipsius Dei administrationem adhibet, tanquā ab illo non satis

ſatis prouidè in omnes partes conſultũ eſſet: quos verò ille inſtituit, tanquam nihil eorum opera Eccleſiæ opus eſſet, à muneribus ſuis abire compellat. Denique quod tam liberè ſibi quiduis in diuinis rebus permittat ponere, tollere, addere, detrahere, omnia pro libidine moderari. Quod quum ita cõtra ſeruatoris noſtri dignitatẽ fiat, vt nihil magis, diſcamus tandem modeſtè ex illius mandato ſapere: eius autoritate familiam ſuam regi patiamur: & quos ipſe ad Eccleſię ſuæ vtilitatem inſtituit, ſuis quoſque certis munerib. & officijs adhibeamus.

Verùm vt hæc melius intelligi poſſint, & tota hæc oratio ordine procedat: vt in ſuperiori parte inſtituta à Deo primum deſcripſimus, vnde quid redundaret deprehendi facilè poſſet: ita & hoc loco faciendũ eſt, vt quid deſit, quidque ſupplendum in hac parte ſit intelligamus. Diaconorum ergo, vt à Paulo cap. 12. ad Rom. diſtinguuntur, duo genera ſunt: μεταδιδόντες, id eſt, diſtributores, qui & Diaconi proprio nomine ab Apoſtolis Actor. 6. nominantur:

tur: & προϊστάμενοι, qui & alibi πρεσβύτεροι, ideſt præſides & præfecti atque ſeniores Eccleſiæ appellãtur. Nam quod eodem loco ſequitur de eo qui miſeretur, nullum certum munus Eccleſiæ indicare puto, ſed quale totius Eccleſiæ officium in ſubleuandis pauperibus eſſe debeat oſtendere: vt coniungendum ſit cũ eo quod ſequitur, amorem ſine ſimulatione eſſe oportere; & eiuſdem ſenſus ſit cum eo quod ſcribitur 2. Epiſt. ad Corinthios, 9. 7. In hunc autem locum ſermonem eum induxit & propter Diaconos, quorum antè meminit, ac quorum officium in diſtribuendo partiendoque conſtituit: & quia hoc communib. præceptis, ac illi potiſsimum quod primo loco de vero amore ponitur, aptiſsimè cõiungitur. Sed ad diaconos redeamus.

Sunt ergo Diaconi qui hoc nomine propriè vocantur, miniſtri Eccleſiæ ad liberalitatem & (vt loquimur) eleemoſynam eiuſdem diſtribuendam deſtinati. Huius muneris in Eccleſiam inducendi quàm grauis cauſa extiterit, patet Actor. 6. vbi Apoſtoli, qui primis illis temporib. Eccleſiaſticum ærarium admini-

miniſtrabant, quum ſentirent ſe vtriq; officio, & verbi annuntiandi, & curandi pauperes pares eſſe non poſſe, hac ſe tanquam quæſtura abdicant, & referūt ad Eccleſiam de certo munere, q̄ totam hanc pauperum curam ſuſcipiat, inſtituendo: quib. quæ ad egenos ſubleuandos conferrentur, tradi poſſent, & ab illis pro ſingulorum ratione adminiſtrari: & ne pauperes in Eccleſia Dei cōtemnantur, quos ille ſibi tam charos eſſe oſtendit: & querimonijs ac turbis omnibus ſublatis omnia in domo Dei ordine & honeſtè p̄curētur. Diaconis igitur vniuerſum Eccleſiæ ærarium cōmittendū eſt, domus peregrinis & pauperibus ſuſtinendis deſtinatæ adminiſtrandæ, ſingularū etiā hebdomadū collectæ p̄curandæ: deniq; quicqd eſt huiusmodi generis, ad Diaconorū officiū referendū eſt.

Olim quidē in vetere Eccleſia apud Epiſcopos hic theſaurus deponebatur, quòd omnes eorū potiſsimū conſcientia freti, quibus hoc in primis curæ eſſe exiſtimabant, ſperabant fore vt omnia fidelius in neceſſarios Eccleſiæ vſus, & pauperes in primis fouendos & alēdos cro-

erogarentur. Illi verò quum Apostolos imitari deberēt, & rogare vt se verbo & precib. incūbere paterentur, alios quos dam ex sese ad hanc curam suscipiendam deligerent: non modò hoc ab illis impetrari passi sunt, sed in administrando pauperū & Ecclesię thesauro, ita ma la fide versati sunt, vt tandem distributores esse desierint, & sibiipsis tanquam pauperibus (si placet) omnia permiserint. Qua de re Diaconis, si qui essent, pauperū nomine (quorū quasi tutores aut curatores ab Ecclesia deliguntur) in Episc. agendum esset: quos equidē pro officio suo deberent de pecunijs repetūdis postulare, aurū factū & argētea vasa repetere qbus magnificè abacos suos exornarāt, paupū omnia esse dicere, quorū illi egestate creuissent, & inopia abundarent. Quare quū tam necessarium Diaconorū munus in Ecclesia existat, quum tam graue atq; multiplex, mirū videri potest quomodo vnq Ecclesia pati potuerit, vt pauperes & peregrini, q nobis Christi nomine cōmendatissimi esse debent, tutorib. suis orbarentur. Alios quidē nescio quos ædituos & colle-

ctores

ctores in eorum locum induximus, sed quos omnino nullos esse præstaret, quã vt per eos in primis necessarium munus de Ecclesia tolleretur. Quum enim tantæ fidei procuratio sit, & quæ singularem cum prudentiam tum simplicitatem atque integritatem deliderat, cur non pro cæterorum munerum mandandorum ratione; examinatio & delectus adhiberentur, vt ab Ecclesia prudentissimi quiq; deligi possint, & (vt loquuntur Apostoli) pleni Spiritu sancto atq; sapientia? Cur manus illis non imponuntur, vt sciant se rem sacram agere? Cur preces ad bene gerendum officium pro illis non fiunt? Denique cur politicos potius quàm Ecclesiasticos magistratus ad hoc negotium adhibemus?

Hæc ergo Diaconorum cura est. In quorum electione aut ordinatione quoniam nihil singulare considerandũ occurrit, ad Presbyteros, alteram Diaconorum speciem, transeamus. Presbyteri ergo sunt Diaconi, qui ad offensas in Ecclesia cauendas destinantur. Itaq; in bene constitutis Ecclesijs singuli suam quasi speculã habent, in qua excubent: certæ

certæ Ecclesiæ partis, cui commodissime inseruire possunt, tãquam custodes designentur. In qua siquid secus fiat quã oportet, quod in iustam reprehensionem incurrat, si priuatim, errantẽ adeunt, peccati sui ex Dei verbo admonẽt: ne quid simile postea committat, adhortantur: sin publicè, Ecclesiastico senatui significãt, ne vnius scelus ad omnium perniciem propagetur. Quum enim omnium quodammodo hominũ esse videtur aberrantem in viam reducere, tamen diligentius & accuratius cauetur ne offensæ in Ecclesia oriantur, quum singulis partibus suæ vigiliæ destinatæ sunt, ad quarum proprium officium pertineat omnium mores inspicere, notare, animaduertere: quũ alioqui multa sint, quæ non satis attentos facile effugiant. Vnde Paulus ad Thessalonicenses ἐυθύτητα propria quadam ratione Presbyteris attribuit, quam postea etiam ad omnium piorum officium pertinere ostendit. 1. Thess. 5. 12. 14.

Sunt ergo Presbyteri tanquam φύλακες quidam aut censores, qui ad legum regulam ciuiũ suorum vitam exi-

gant, qui in mores inquirant, leuiora errata ipsi adnotent, grauiora peccata ad senatum tanquam ad Areopagũ deferant: omni denique ratione prouideant ne qua religio in Ecclesia, alicuius delicto hæreat, sed honeste, piè, moderate omnia in Ecclesia Dei gerantur. Itaque & in sua curia, siqui ex alijs partibus incolæ ad habitandũ accesserint, de quorum religione nondum constet, ministris significent: vt illis cũ eiusmodi antè agẽdi potestas sit, quàm in mensam Domini accumbant: siqui infantes baptizandi: siquid denique eius generis sit, quod Episcopos scire ad Ecclesiæ vtilem & decoram administrationem attinet. Quin & in Cœna ministranda ad commodiorem Ecclesiæ vsum, pastoribus subseruiant & auxilientur, caueant ne qui accedant, de quorum integritate non constet, & quibus cum ministri nõdum egerint: & alia quædam eiusmodi. Quæ etsi omnia speciatim in Scriptura non exprimantur, tamen quum non solùm ad ordinem & decorem, sed etiam ad vtilitatem & fructum Ecclesiæ pertineat, aliquos his re-

bus

bus præfici (quales & in vetere Iudæorum Ecclesia archisynagogi extiterunt) nec aliorum presbyterorũ, ad quos hæc cura ptineat, Scriptura meminerit, sed tantum istorum: satis (vt opinor) apparet hæc ad presbyterorum officium ex Dei verbo referenda esse.

Atque ad offensas cauendas quod attinet, quis dubitare potest curam hanc ad Presbyteros præcipue pertinere, quum illi etiam dicantur προῖσθαι, ποιμαίνειν, ἐπισκοπεῖν, præesse, regere, speculari? Huius enim ἐπισκοπῆς duæ tantùm partes esse possunt: quarum altera ad doctrinam & Religionẽ, altera ad vitam & mores pertineat. Quum ergo distinctè duo presbyterorũ genera à Paulo nominantur, quorum prius in sermone & doctrina versetur, necessum est alterum in vitæ pietate & integritate morũ (quæ pars sola restat) occupari. Atq; huc etiã ducit nos primę Ecclesiæ exemplũ, quæ proximè Apostolorũ tempora sequuta, optimè cui Ecclesiæ boni Presbyteri ab illis in Ecclesia designati essent, intelligere potuerit. Illa verò quomodo illa Apostolorum in-

ſtituta aeceperit, omnes ſacræ hiſtoriæ loquuntur, & purgatiores noſtris temporibus Eccleſiæ (quæ ſe ad eam conformarent) ſatis oſtendunt. Presbyterorum ergo officium quũ à ſeruatore noſtro per Apoſtolos ſuos in Eccleſia inſtitutum ſit, quum ad maximos vtiles & neceſſarios fines atque vſus referatur, annon iure hodie hoc tam præclarum munus, quod apud nos nullum eſt, deſideramus? Annon inimicorum noſtrorũ calumniæ, qui quauis occaſione ad proſcindendum omnibus probris Euangeliũ parati ſunt, ſpeculatores requirunt, à quibus ſcandala & offenſæ caueantur? Annon hominum improbitas & turpitudo, ſacros quoſdam quaſi cenſores efflagitat? Ordinis atque decori in omni publica actione atque adminiſtratione Eccleſiæ tam auguſta lex, ſuis tanquam tutoribus & patronis diutius carere poteſt, vt non omnia incredibili confuſione perturbentur? Reddantur ergo Eccleſiæ noſtræ tam neceſſaria adiumenta, ad ſalutem & ad dignitatem ornamenta. Diuino præcepto de Presbyteris inſtituendis pareatur, ſi aut illius ſalus atque

que dignitas nobis chara sit, aut de officio nostro Deo præstando laboremus.

Ac presbyterorum quidem officium tale est. Electio autem & ordinatio quū tota ferè ex illis communibus præceptis peti possit quæ antè tradidimus, neque proprium aliquid aut peculiare habeat, hunc sermonem, ac simul etiā vniuersum locum, quem huc vsque de simplicibus Ecclesiæ muneribus prosequuti sumus, concludamus: Deum clementissimum patrem nostrū obtestantes vt Ecclesiæ nostræ misereatur, & quam penè mortuam atque iacentem excitauit, excitatam omnibus modis ornet atq; illustret, deformitates auferat, amputando quæ redundāt, supplendo quæ desunt: ornamenta augeat, omnibus artis suæ colorib. pictam & politam reddat, suam disciplinam restituat, iuris Canonici autoritatē abroget. Ad Ecclesiam vocati tantùm accedant, ambitiosi repellātur. Legitimæ electionis ordinationisq; leges conseruentur: deniq; iustum ministerium per vniuersum regnum ad omnem æternitatem stabiliat: pauperibus Diaconos errantibus

tibus admonitores constituat. Omnia denique quæ sapientissimè ab ipso descripta sunt, ad nominis sui gloriam celebrandam, & Ecclesiæ salutem conseruandam, vt in Ecclesia nostra clementissimè inchoauit, ita benignissimè absoluat atq3 perficiat. Ac de simplicio. quidem muneribus hactenus.

Sequitur vt de Ecclesiastico senatu dicam. In quo etsi nulla noua neque electio neque ordinatio adhibeatur, vt qui ex superioribus ordinibus ferè consistat: tamen ab illis vel eo nomine distinguendum esse existimaui, quòd nulla hic vniuscuiusque (vt in reliquis) aut officium aut autoritas existat, sed omnium simul vnum munus est, quo vniuersi coniunctim defungantur. Est enim Ecclesiasticus senatus cœtus presbyterorum Ecclesiæ, qui eam communi autoritate atque consilio administrant. Nam quòd quidam Diaconos etiam ex hoc senatu esse sentiunt, non video quo fundamento nitātur. Quum enim hic senatus πρεσβυτέριον à Paulo appellatur, Presbyteros esse hos senatores necesse est. Presbyterorum autem nomen

nomen nusquam (quod sciam) Diaconis in Scriptura attribuitur, sed Pastoribus, Doctoribus, & qui proprio nomine Presbyteri appellantur. Ac de pastoribus quidem & Doctoribus nihil necesse est innumeros locos citare, quibus hoc nomine appellentur. De Presbyteris verò quos sic proprie vocamus, vel vnicus ille locus ad Rom 12. satis esse potest, quo hæc duo munera Apostolus inter se distinguens, eis tantùm προϊστάμενον nomen attribuit, reliquos alio quodam nomine appellans.

Ex his ergo tribus ordinibus, Pastoribus, Doctoribus & Presbyteris, Ecclesiasticus senatus consistit, qui & πρεσβυτέριον à Paulo appellatur: vt etiam alibi omnes ab eodem προεστῶτες nominantur. A seruatore autem Matth. 18. Ecclesiæ nomine insignitur: quia nimirū totius Ecclesiæ nomine atq; autoritate res Ecclesiasticas administrant. Ita apud Mosen sæpius nomē עדה Iudæorum γερουσία, idest certis atque delectis viris tribuitur, qui à tota congregatione ad res obeundas designarentur. Ita manifestè Numerorū capite octauo ac-

1. Timoth. 5. 17.

tibus admonitores constituat. Omnia denique quæ sapientissimè ab ipso descripta sunt, ad nominis sui gloriam celebrandam, & Ecclesiæ salutem conseruandam, vt in Ecclesia nostra clementissimè inchoauit, ita benignissimè absoluat atq3 perficiat. Ac de simplicio. quidem muneribus hactenus.

Sequitur vt de Ecclesiastico senatu dicam. In quo etsi nulla noua neque electio neque ordinatio adhibeatur, vt qui ex superioribus ordinibus ferè consistat: tamen ab illis vel eo nomine distinguendum esse existimaui, quòd nulla hic vniuscuiusque (vt in reliquis) aut officium aut autoritas existat, sed omnium simul vnum munus est, quo vniuersi coniunctim defungantur. Est enim Ecclesiasticus senatus cœtus presbyterorum Ecclesiæ, qui eam communi autoritate atque consilio administrant. Nam quòd quidam Diaconos etiam ex hoc senatu esse sentiunt, non video quo fundamento nitātur. Quum enim hic senatus πρεσβυτέριον à Paulo appellatur, Presbyteros esse hos senatores necesse est. Presbyterorum autem

nomen

nomen nusquam (quod sciam) Diaconis in Scriptura attribuitur, sed Pastoribus, Doctoribus, & qui proprio nomine Presbyteri appellantur. Ac de pastoribus quidem & Doctoribus nihil necesse est innumeros locos citare, quibus hoc nomine appellentur. De Presbyteris verò quos sic proprie vocamus, vel vnicus ille locus ad Rom 12. satis esse potest, quo hæc duo munera Apostolus inter se distinguens, eis tantùm προϊστάμενον nomen attribuit, reliquos alio quodam nomine appellans.

Ex his ergo tribus ordinibus, Pastoribus, Doctoribus & Presbyteris, Ecclesiasticus senatus consistit, qui & πρεσβυτέριον à Paulo appellatur: vt etiam alibi omnes ab eodem πρεσβύτεροι nominantur. A seruatore autem Matth. 18. Ecclesiæ nomine insignitur: quia nimirũ totius Ecclesiæ nomine atq3 autoritate res Ecclesiasticas administrant. Ita apud Mosen sæpius nomẽ עדה Iudæorum γερουσία, idest certis atque delectis viris tribuitur, qui à tota congregatione ad res obeundas designarentur. Ita manifestè Numerorũ capite octauo ac-

1. Timoth. 5 17.

cipitur, vbi Dominus instituit Leuitis manus à congregatione imponendas esse. Totam autem congregationem & tot hominum millia, quot tum fuisse in Israëliticis castris memoratur, manus illis impositurisse, quis dixerit? sed seniores & principes: vt rectè Leuit. 15 doctissimus Hebræorum Aben Ezra interpretatur. Quod propterea notandū est, quòd nonnulli ea verba seruatoris de vniuersa Ecclesia exponunt, quū pro more Hebræorum Ecclesiam Ecclesiasticū senatum appellauit. Hîc autem obseruandum est, vnà cum reipsa, nomen etiam à Iudæis ad nos translatum esse: vt qualem Iudæi ad Ecclesiæ gubernationem senatum adhibebant, talem oporteat à seruatore nostro in sua Ecclesia institutum esse intelligere. Itaq; eodem loco summam rerum moderationem huic senatui attribuit: vt quæ res aliter componi vel regi non possent, ad eos tandem deferrentur, & eorum autoritate atque sententia finirentur. Quòd si verò aliquis tam proiectæ audaciæ futurus esset, qui senatus huius autoritatem aspernaretur, eum ethnicum & pu

bli-

blicanum habendum esse, & certas rebellionis suæ pœnas daturū pnunciat.

Quare summa quadā autoritate eos peccata ex illius verbo vel condonandi vel etiam non condonandi instruit: quā claues cœli appellare Christiani doctores consueuerunt: quòd ijs quib. illi secundum Dei mandatū sua peccata condonarint, peccatis remissis rectius in cœlum aditus patefiat: vt contrà cœlū quodammodo obseratum est & occlusum ijs quibus sua peccata non condonarint. Atque quum seruatori nostro Deus omnem potestatem in cœlo terraque concesserit, illiq́ue reuera domus Dauidicæ clauis (quæ est Ecclesia Dei) commissa sit, & super humerū eius imposita, vt illo aperiente nemo claudat, claudente contrà nemo aperire & reserare possit: non est dubiū quin ijs quos autoritate sua instruxerit, & hanc clauem quodammodo crediderit, claudentibus vel aperientibus cœlum apertum atque patens, vel concluſum arque inanium sit. Habet ergo vt Lacædemon γερουσίαν, Athenæ Areopagum, Roma senatum, omne denique regnum atque

omnis Reſpublica conſilium, cuius maxima ſit in omnib. reb. gerendis autoritas, & à qua reliqua ſocietas gubernetur: ita & Eccleſia ſuum προβούλιον, cuius autoritate res omnes Eccleſiaſticæ adminiſtrantur.

Verùm hæc paulo plenius atque vberius explicanda ſunt, & omnis hæc poteſtas ſpecialius perſequenda: vt quàm latè pateat, & cuius momenti ad legitimam Eccleſiæ gubernationem ſit, intelligamus. De Eccleſiaſticorum autem magiſtratuum eligendorum poteſtate, quum ſuperius abunde tractatum ſit, non eſt neceſſe hoc loco plura dicere. Neque verò de legibus ferendis, quæ in ſingulis Eccleſijs nō magna eſt, quum & grauiſsimæ atque maximè neceſſariæ iampridem in Euangelio, quaſi ſcriptis tabulis contineantur: & particularium, quæ certorum loçorum, temporum, perſonarum eſſe poſſint, vna etiam lex ſumma de Eccleſiæ ædificatione atq; ordine lata ſit, ad quã illas formari ſanciriq́ue conueniat: poſtremò etiam quia hæc fere non pro ſingularum Eccleſiarum voluntate, ſed ex

gene-

generaliore quadam omnium fere eiusdem prouinciæ aut regni Ecclesiarum sententia & autoritate sanciantur: reliqua fere potestas omnis in offensis, quæ Græci σκάνδαλα appellant, cauendis, & ex Ecclesia auferendis, atque offendentium correptione quadam & coërtione versatur.

Hæc autem correptio sine coërtio, aut verbis tantùm & oratione fit, quum quis de aliquo suo leuiore errato delictóue obiurgatur, & nequid tale committat in posterum, admonetur: aut etiam illa verborum castigatio cum aliqua pœna spirituali cõiũgitur. Vt enim vniuersus hic senatus Ecclesiasticus est, & forum (vt ita dicam) spirituale, sicut & manifestè distinguitur à iudiciis politicis, quæ Apostolus κριτήρια βιωτικὰ nominat: ita pœnæ spirituales sunt, & ad vitam æternam pertinentes, quæ huius vitæ cõmoda, & quę à magistratu tractari solent, non attingunt.

Quo iniquiores sunt qui hoc nomine omnem Ecclesiasticam reprehendẽdi, castigandi, coërcendi autoritatem reijciunt, tanquam quæ de magistratus

iure

iure detrahat, quum nihil eorum attingat in quæ magistratus ius aliquod potestásue sit : sed suis contenta finibus, reprehensionib. ex Dei verbo sumptis, sacramentis, precibus, & id genus alijs ad animam pertinentibus, vetandis atque prohibendis terminetur. Omnium verò iniquissimi nostri sunt, qui falsò legitimæ disciplinæ maiestatē obijciunt, quæ nihil sibi assumit quod ad magistratum iure pertineat, tum etiam quæ ex Dei mandato puniat, nulla ciuili pœna mulctet, quæ corpus, aut facultates, aut omnino hanc vitā attingat : sed ea sola ratione qua diximus. Quum ea qua ipsi vtuntur, vtroque nomine maiestatis rea habenda sit, quæ ciuiles sæpe causas & planè βιωτικὰ, & ad magistratus forum pertinentia dijudicat, & delinquētes sæpe pecunijs, nonnunquam etiam carcere mulctare soleat.

Sed vt hæc leuiter, quia properandū est, perstringamus, quæ certè grauissima sunt, & ipsa grauitate sceleris dignissima quæ maximis iudicijs, atque adeo regia quam appellamus curia discēptētur (vt quæ in magistratum tam

iniqua

iniqua sit) ad coërtionum genera redea mus. Superioris generis exemplum 4 Act. habemus, vbi Petrus & Iohannes Apostoli ad Presbyterium adducti, interrogantur qua tandem autoritate freti populum docerēt, & resurrectionem à mortuis per Iesum annuntiarent. Qua de re quum reprehenderentur, vetiti sunt ne in posterum omnino amplius prædicarent, nec Christi nomine docerent. Male quidem illi rem omniū optimam & ad hominum salutem maximè necessariam (Euangelij prædicationē) reprehenderunt: sed ex quo facto tamen quæ Ecclesiæ regendæ forma sit, quam ad nos seruator noster transtulerit, intelligi possit. Castigationes autem quæ pœnam coniunctam habent, pro varietate pœnarum & criminum, in duo genera diuiduntur, & fere duas illas apud Romanos capitis diminutiones adumbrant: quorum prima ab Ecclesiasticis scriptoribus suspensio, altera excommunicatio nominatur.

Suspensio autem est mandatum vel vetitum Presbyteri, à sacramentorum perceptione certo tempore abstinendi.

Huius

Huius exemplum & vmbra quædam in Lege est, quæ immundos à sacris arcet, nec promiscue quosuis in templum ingredi & sacrificiorum & sacramentorũ participes fieri patiebatur. Itaque portarum templi certi custodes à Ioiada sacerdote designantur, nequis immundus & pollutus in templum ingrederetur. Sic Exodi 12. 48. vetatur nequis incircumcisus ad Paschatis celebrationem admittatur: nec peregrinus aliquis, qui nõ accepto circumcisionis signo eandem religionem profiteretur. Numerorum autem nono insigne huius rei & illustre exemplum est, de quibusdam immundis, qui quũ à celebratione Paschatis arcerentur, quòd cadaueris cõtactu sese inquinassent, Mosen & Aaronem adierint (in senatu nimirum considentes, vt rectè Hebraicus quidã interpres annotauit) petunt sibi condonari, vt cum reliqua Ecclesia Pascha celebrarent. Quum enim necesse esset in tanta multitudine aliquos fere quotidie mori, non videbatur illa immundities quæ ex necessario officio contrahebatur, tanta esse, vt propterea cum

reliqua

reliquo Israële, id est Ecclesia Dei Pascha suo tempore celebrare non deberent. Illi aũt ad Deum referunt, à quo respondetur, nõ permittendum esse festũ illud vnà cum fratribus suis celebrare: sed certa lex perpetua ea de re sancitur vt illius generis immundi in secundum anni mensem rejcerentur: quum reliqui Israëlitæ Pascha primo mense celebrarent.

Ex quibus primum apparet, ex eo nimirum quòd Exodi 12. incircumcisi ad celebrationẽ Paschatis non admittuntur, ne si Iudæi quidem, & hæreditario quodam iure hæredes promissionũ essent: sed tam à Iudæo quàm à peregrino manifesta religionis ꝓfessio antè exigenda fuit, ex eo inq̃ apparet ad sacræ Cœnæ participationem neminẽ hodie admittẽdũ esse, nisi qui palàm & publicè veram Christianam religionem profitetur. Quanto .n. nunc sunt apud nos quàm olim apud Iudæos omnia augustiora, tãto magis anxiè & solicitè nobis cauendũ est ne sacramẽta nostra, quibus uis incircũcisis & immundis ꝓstituant: sed de fide quam credũt, religione q̃ colunt,

lunt, & de Deo quem venerantur, diligentius inquirendum: necui illa participare permittamus, qui non eandem veram Christi religionem & doctrinam vnà nobiscum profiteatur.

Ac in vetere quidem Christiana Ecclesia hoc ita diligenter & accuratè cauebatur, vt Eusebius etiam Imperatorem quendam Rom. Philippum nomine, quum Christianus esset, & participare sacra cum reliqua Ecclesia vellet, nõ antè ab Ecclesiæ Episcopo admissũ esse scribat (quòd iustis de causis suspectus erat) quàm palam & publicè veram religionem profiteretur. Atque his quidem nostris temporibus in ijs Ecclesijs quæ disciplinam Euangelij vnà cum doctrina acceperũt, vt olim agnus Paschatis peregrinis & mercenarijs, nisi partẽ suam in agno haberent ꝑ more aliorũ Israëlitarum, non cõmunicabatur: ita nec in sacræ Cœnæ participatione Christus verè Paschalis agnus noster cõmunicatur, nisi ad quos (quantum homines iudicare possunt ex externa professione) constat Christum ipsum pertinere. Nos verò quum non minus graue decre-

decretum contra immundos & incircumcisos habeamus, cur in Euangelij tabulis, tanquam in vagina recondi patimur, & huius autoritatis aciem decimum quintum iam annum hebescere? cur sacra Dei mysteria Papistis communicamus, nec antè apertam, publicam, synceram veræ Religionis professionē & contestationem exigimus: sacra Dei mysteria profanantur, gentes in templū Dei ingrediuntur, sacra cum incircumcisis & immundis communicantur, nec custodes ad portas adhibemus, neque immundos claustris circumscribimus. Hæc ergo tam necessaria pars Ecclesiasticæ disciplinæ constituatur: sanæ religionis professio ab ijs qui ad sacra admittuntur, exigatur, neq; à Papistis sancta Dei mysteria profanari patiamur.

Proximum autem in hac parte ad eos pertinet, qui quidem hæredes promissionum sunt, & (vt Petrus loquitur) τοῖς διαθήκης patribus factæ sed ob aliquem casum, qui fortè inciderit, ad tēpus excluduntur. Huius exemplum ex Numerorū capite nono citauimus, de immundis qui in secundum anni men-

sem ad celebrationem Pascatis reiecti sunt. In Euangelio aũt etsi nihil expresse hac de re præceptum sit, tamen cum Matth. 5. præcipiatur illi qui fratri suo iratus donũ ad altare Dom. attulerit, vt relicto dono reuertatur, & in gratiam cum aduersario redeat: quanto magis hoc faciendum est, vbi ira ita exarserit, vt contumeliæ etiam & conuitia secuta sint, & quæ manifestè seruator συνεδρίῳ obnoxia esse pronuntiat. Vt nimirũ ab altari Domini abstinere iubeantur, donec reconciliati, offensi animũ recollegerint? Alioqui n. & sacra ipsa profanãtur, & qui talia committũt, grauiore se peccato obstringunt, & pro leuiore errato, sceleris cuiusdam & flagitij rei efficiuntur. Sic enim lex immundo minatur, qui carnem sacram attingere, & & ex sacrificijs comedere ausus sit, fore vt certissimas Deo pœnas det, & peccatum illud suo ipsius sanguine expiet. Vt & seruator noster in Euangelio minatur non remittenda esse peccata eorum qui fratribus suis non condonarint. Quod quum ita sit, & tam grauiter Dominus de ijs officijs neglectis

Matth. 5. 22.

Leuit. 7 18.

& sa-

& sacris suis profanatis soleat commoueri, quũ homines tam atroci Dei iudicio hac ratione fiant obnoxij: hæc quoque non minus necessaria disciplinæ pars, quam iam diu nullam habemus; restituenda & instauranda est, & tanti æstimanda, quanti grauissima hæc iudicia & iram Dei, sacrorum suorum profanationem vindicantis & vlciscentis æstimamus.

Neq; verò hic mihi aliquis forũ Episcoporũ obijciat, & leguleium, Episcopi autoritate de reconciliatione præcipientẽ, aut pecuniarias mulctas imponentem, tanquam ista nos quæ requirimus, nõ deficerẽt. Totũ enim illud leue & nugatoriũ est. Quod quũ legitimam offensarum procurandarum rationem ab ipso seruatore in Ecclesia institutam euertit, quod tandem salutare his morbis remedium inde expectemus? Iustũ in Christiana Ecclesia senatũ constituant, autoritate quam habet à Domino ad arcendos profanos & impuros ad puritatem & castitatem diuini cultus cõseruandum, ad offensas tollendas, & apta remedia adhibenda instruatur.

Altera adhuc pars de excommunicatione supereſt: locus varius & multiplex, & quãto maioris vſus in Eccleſia, tãto graui9 oppugnatus. Sed nos, vt inſtituimus, ea tantum attingentes quæ à noſtris hac in parte peccari ſolent, reliqua omittemus: ac in primis quidem illos qui excommunicationis omnem vſum auferunt, & non neceſſarium in Eccleſia Chriſtiana eſſe contendunt. Noſtri verò qui qualem à Papiſtis acceperint, talem adhuc retinent, nõ omnino vtendum eſſe negant: quin contrà potius, quàm neceſſaria ſit, ſatis cõfirmant: qui hoc plumbeo potius quàm nullo gladio vtendum eſſe cenſuerunt. Quanquam & illos omnia quæ à me hac de re ex Scripturis citabuntur, ſatis refellent.

3. Excommunicatio ergo eſt cenſura Eccleſiæ, qua aliquis grauioris alicuius ſceleris aut flagitij reus, ſine certi temporis præſcriptione à ſacris excluſus, fidelium communione proſcribitur, vt eum ſceleris ſui pœniteat, & conſeruetur. Hæc autem (vt prior quoque pars) à Iudæis ad nos tranſlata eſt, vt Chriſtiani

ſtiani in vniuerſa huius diſciplinæ ratione Iudæorum quaſi fundi quidam populi eſſe videantur. Ad Hebræorũ enim mores ſeruatorẽ noſtrũ alluſiſſe Matth. 18 ſatis manifeſtè conſtat, quũ alioqui eius ſermo obſcurior fuerit, & eiuſmodi qui ab ijs ad quos habebatur, intelligi non poſſet. Verùm hoc apertè Ioh. 9. in cœco ἀποσυναγώγῳ apparet, & 16 vbi Chriſtus Apoſtolis ſuis eiectionem ex Synagogis ſua cauſa multo antè denunciat. Hanc nonnulli vel ab Adamo ipſo repetunt, quem Dominus ex Eden eiecit, & Angelum in ingreſſu conſtituit, qui coruſcantis gladij vibratione ab accessu deterreret, nec arborem illã (quæ vitæ quaſi ſacramentum quoddã erat) guſtare aut attingere pateretur. Simile aliquid etiam in Caino Heb. interpretes animaduertunt, quem Dominus cũ execratione quadam ex ea terra eiecit in qua pater eius Adamus habitaret. Qui locus prope Eden fuit, & nõ obſcuro diuinæ gratiæ & præſentiæ teſtimonio ornabatur. Nam & certum locum ſacrificandi ibi fuiſſe, eruditè ex Adducendi verbo Aben Ezra animaduertit,

& eod. loco Cain se eiectum esse à facie Dei conqueritur. Præterea etiam in leprosis qui ex vrbe eijciebantur, aliquid eiusmodi adumbratur. Atq; hæ quidem non obscuræ vmbræ sunt; sed illustrem quandam imaginem excommunicationis & figuram continent. Quæ tamen planius & apertius Gen. 17. explicatur, vbi Deus fœdere icto cum Abrahamo & semine eius, circumcisionē tanquam fœderis cum illo initi signum instituit, & illius signi contemptorem ab ipso quasi fœdere & ab eo populo quocum ille pepigerit, excludendum, & tanquā aliquem ex reliquis gentibus & profanis habendum esse pronunciat: postea verò sub lege, fœdere hoc cum Israeliticis renouato, & Mose tanquā patre patrato percusso, vt promissiones pluribus quasi sigillis obsignatæ sunt (vt plurib. modis de illis certiores redderentur) ita etiam sæpius hæc excisio & ἀποκοπὴ quam illi כרת appellant, denunciatur.

Hanc autem excisionem eandē fuisse sub Lege, quę nostra hodie excōmunicatio sit, vel ex eo satis intelligitur, q ipsæ

formulæ atque nomina inde ad hanc nostrã translata sunt. Quid enim aliud est Ethnicum & publicanum haberi, (qua forma loquendi Christus excommunicationem designauit) & quod Iohannis cap. 9. & 17. ἀποσυνάγωγον, & in vetere Ecclesia ἀκοινώνητον γίνεσθαι, ἀποκηρύττεσθαι, καὶ ἐν ἀλλοτριότητι τῆς ἐκκλησίας ἄγεσθαι, & quod Paulus 1. Corinthios c. 5. 2. ἵνα ἐξαρθῇ ἐκ μέσου ὑμῶν· καὶ ἐξαίρετε τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν· quàm ꝙ ita sæpe in Lege dicit ab Israële & à populo suo excludi? Quinetiã ad hoc ipsum excindendi nomen Paul ad Gal. 5.12. Christus Matth. 18 8. & Pet. Act. 3.23 videt alluisse. Quod aũt Nũ. 9. Dom. excisionẽ interminato ei ꝙ de sacrificio suo tertiodie comederit, negat illi quicq̃ profuturũ esse sacrificiũ suũ, neq; fore vt illi imputetur, sed ipsum suo ipsius capite luiturũ, (sic. n. Abẽ Ezra interpretatur) vel etiam ipsa verba liceret, & fortasse aptiꝰ, cõuertere ꝙ ipsum laturũ peccatũ suũ: & Deut. 18 15. eand. contẽptori illiꝰ Prophetæ quẽ missurꝰ esset, denũciãs Requirã, inquit, peccatũ suũ ab eo: qd inq̃ aliud significant q̃ illa verba ligandi & nõ remittẽ-

di peccata, quæ Matth. 18. hac in re à ſeruatore noſtro vſurpantur?

Poſtremò annō manifeſtè Paulus ad Corint. 1 Epiſt. 5. 6. 7. 8. excommunicationis ſuæ fundamentum ab ea exciſione quæ eſt Exod. 12. 15 & 19 videtur deſumpſiſſe, & admirabili quadam dexteritate ad eam tranſtuliſſe? Nam quum Moſes exciſionem interminatus fuiſſet ei, qui ſeptem diebus Paſchatis fermentum domi haberet: ſeptem dies feſtos ad vniuerſam vitam referens, & Chriſtū agnum Paſchatis noſtri, domum verò ſocietatem communicātium (vt & quidam ex Heb. interpretantur) panes ἀζύμους εἰλικρίνειας & ἀληθείας, fermentum κακίας καὶ πονηρίας interpretatus: annon videtur inde colligere, Corinthium, qui per hos feſtos dies Paſchatis noſtri, fermentum domi habuerit, id eſt à Chriſtiana profeſsione ſuſcepta, tā flagitioſè peccauiſſet, ejiciendū; & irerū, paulo immutata loquēdi formula fermentū ab Eccleſia Dei (quā νέον φύραμα & ἄζυμοις appellat) expurgandum eſſe? Ex his ergo ſatis (vt opinor) manifeſtè apparet, omnibus Eccleſiæ temporibus excommunica-

nicationis vsum in primis necessarium extitisse, & Iudæis ad nos ab ipso Domino primùm translatam, & postea ab Apostolis, & ab Apostolorum temporib. vsque ad hanc nostram ætatem in Ecclesia vsurpatam esse (quanquam posterioribus seculis misere corruptam & deprauatam) vt in omnibus Christianis Ecclesijs, quum res postularit, exercendam esse dubitari non possit. Sed & illud quoque explicatum est, quid sit, & quam vim atque naturam habeat: nimirum vt hoc iudicio damnatum, ab electo populo & Ecclesia abscindat, & (quum illi soli peccatorum remissionis atque beatæ vitæ promissionis factæ sunt, & sacramẽta ad illas obsignandas data) promissionum spe atque expectatione, vnà cum earum signis & sigillis priuandum esse pronunciet: vt ea tãquam maxima capitis diminutione, omnia ciuitatis Dei iura amittantur. Ac tanto quidem grauior hæc capitis diminutio existimanda est, quòd huius ciuitatis iure priuatus in aliam liberam ciuitatem ascribi non possit: sed regno Dei eiectus in regnum tenebra-

rum & ſummam ſeruiturem relegetur, quum nihil medium ſit: vt ex Epiſt. ad Coloſ. apparet. Itaque ſeruator noſter illa ſententia fieri Ethnicum & Apoſt. Paulus Satanæ tradi pronunciat. Vnde ad Theſſ. 2. Epiſt. 3. præcipitur ne cum eiuſmodi comedamus.

Quod iudicium quum tam graue ſit, & hic gladius non minus formidabilis quàm ille quem ejecto Adamo iactabat Angelus: magna cura atque diligens quædam cautio hîc adhibenda eſt, in quos ſtatuatur, & contra quem tam acutum gladium diſtringamus: ne ſi in immeritum aut non graui aliquo ſcelere obſtrictum, nos ipſos, violata Dei ſanctiſsima iuſtitia, illius iudicio obnoxios reddamus. Itaque ex ſummi iudicis mandato moderandus & regendus eſt, vt in eos tantùm æquamus, in quos ipſe iubeat diſtringere: neque niſi planè membrum aliquod computruerit, chirurgiam hanc ad reliquum corpus curandum adhibeamus.

In quo ne errore aliquo laberemur, expreſſa quædã præcepta tradũtur, quę omnem hanc rationem diligenter & ac

cura-

curatè explicent. Nam & seruator noster generaliter omnē qui Ecclesię de offensis agnoscendis & defiendis non paruerit, huic sententiæ subijcit. Et Paul. specialius omnem hanc rationē persequitur hæreticū, schismaticū, blasphemū, idololatrā, deuitandū, ac in moribus quidem ita grauiter peccantem, vt se incestu obstringat, aut fornicatione, & reliquis criminib. quæ ad Corinth. 1. Epist. 5. 11. & 2 ad Thess. 3. 4 recēsentur. Quanq̄ enim (vt hæc grauissimè & sapientissimè à seruatore nostro Matth. 18. disputantur) membrū aliquod præstet amputari, quàm totum corpus in certū exitiū incidere: tamen cū de abscindenda aliqua parte corporis, & tanquā de eruendo nobis oculo agatur, videndum etiam atq; etiam est num adhuc aliqua spes sit vt conualescat, num quæ medicina prodesse possit, num publicum Ecclesiæ ieiunium, tanquā totius corporis diæta quædam, aliquod remediū afferre possit. Deniq; num penitus & planè computruerit, vt ad reliqui corporis salutem erui aut amputari necesse sit: antequā euelli aut abscindi patiamur,

Quin-

Quinetiam si constet planè computruisse, & si planè desperatum sit, tamen deformari corpus, & oculum effodi, quamuis etiam vitiosum, non sine incredibili quodam dolore totius corporis, & συμπαθείᾳ quadam, & quasi sensu tantæ miseriæ patiamur.

Qua in re vt grauissimè olim in Papismo peccabatur, quum quauis fere leuissima de causa & pecuniolæ causa officiali, aut illius curiæ atque fori leguleio alicui non solutæ, in quemuis alioqui integerrimæ vitæ hominem acerbissima sententia ferebatur, tam insignis diuinæ iustitiæ corruptela ne in hoc vsque tempus correcta & emendata est. Sed vt tum in illis tenebris fieri solebat, adhuc etiam res leuissimæ ac minimi momenti hoc tam graui iudicio puniuntur. Sed quum huius gladij acies sit diuina sententia, neque non modò Episcopalis curiæ officiarius aliquis, sed ne omnes quidem homines ab Ecclesia separare possunt quem de cœlo Christus tanquã corporis sui membrũ Spiritu suo viuificat, non est quòd quisquam ad eam sententiam, tanquam ad

hoc

hoc cœleſte fulmen quod deſcripſimus, cohorreſcat. Verùm vt nimia quadam leuitate & temeritate peccari ſolet, ſine iuſta cauſa tam grauem ſententiam proferendi: ita non multo minus, quòd negligentia quadam & oſcitantia, ſalutaris hæc ſeueritas, quum res cauſaque poſtulant, non exercetur.

Sublata enim ea ratione quam Dominus in Eccleſia exerceri voluit, & offenſis prouideri, omniſque autoritate ab Eccleſiaſtico ſenatu ad Epiſcopum & illius forum tranſlata, (vbi paſtoribus litigandum ſit, vt quos verbum Dei arceat à ſacrorum participatione prohibeant) impunè & licenter ſacra Dei myſteria profanantur, ijs qui ſe adulterijs & ſtupris polluunt, qui ebrietate & omnis fere ſceleris turpitudine ſe obſtrinxerunt, ſacra proſtituuntur, & (quod vetat ſeruator) pretioſiſsimæ margaritæ porcis, & canibus proiiciuntur. Neque tantum ſacra myſteria profanantur ſublata ea cuſtodia, qua ab impuris hominibus conſeruaretur, ſed & Eccleſia in certum diſcrimen adducitur, quum periculum ſit ne reliquũ corpus eadem con-

contagione inficiatur, sed & illi ipsi qui tales sint, mensam Dom. audét attingere, maiorē sibi cōdemnationem & grauius iudiciū accersunt. Hac enim seueritate prꝛterquā quòd Dei cultus integer & castus conseruatur, toti quoqꝫ Ecclesiæ & illis ipsis reis ꝓuidetur. Ac de Ecclesia hac ratiōe cōseruanda manifestè dixerit Apostolus, quū totā massam vel paruo fermento corrūpi & fermentari admonet. De reorū autē salute & eod. loco Paulus: vt (inquit) anima eius seruetur in die Domini: & iterum ad Cor. Epi. 2. 2. 6. 7. quum illā reprehensionem docet debere sufficere, ne nimio dolore absorberetur. Vt hæc medicina potius quàm pœna capitalis, censenda sit, medicina quidē acerba & amara: sed meminerimus nūlla remedia tam facere dolorem, quàm quæ sunt salutaria.

Ergo quum tam vtiles, salutares, necessarios vsus in Ecclesia habeat, restituatur Ecclesiæ, & qualis in verbo Dei describitur, cōstituatur: sacra Dei mysteria anxiè & solicitè ab omni ꝓfanatiōe conseruentur, fermentū ex Ecclesia repurgetur, vt simus noua massa quemad

mo-

modū ſumus azymi: periclitantē membrorū ſalutem diligenter ꝓcuremus, ne mutili & māci, ſed integri & ἀρτιμελεῖς in illam vitā ingrediamur, quā ex Dei verbo expectamꝰ. Collocet ergo Angelus in ingreſſu Edē, qui hoc gladio impuros ab arbore vitæ deguſtanda aut attingēda deterreat. Eccleſiæ ſalꝰ καθάρσει & excretione, aberrātium aūt aſperioribus quidē remedijs, ſed ſalutarib ꝓcuretur.

His ergo duob. remedijs Eccleſiaſtica omnis medicina & offenſarū curatio deſcripta continetur. Niſi quis etiā illud ἀνάθημα, καὶ ἀνάθημα maranata, quod Paul. ad Gal. illis qui aliud Euangeliū annuntiant, & ad Cor. c. vlt. qui D. Ieſum non diligunt, & ꝙ Iudas ex Enocho videtur in omnes impꝓbos detonare, huc referē dū exiſtimarit. Quod ſi ita placet accipere, & ad excōmunicationē referre, videtur Iohan. ad neceſſariū eius vſum in Eccle. alluſiſſe quū (vt videt) ex Zach. qui de regno Chriſti prophetauit, nullū fore ampliꝰ Cananæū in terra ſeu in ea ciuitate quam 22. deſcribit nullū ampliꝰ fore κατανάθημα: vt eōd. alludens (21. 27. & 22. 15.) nihil profanum aut abo-

mi-

minandum, nullos canes, incantatores, scortatores, &c. in eam ingressuros affirmat. Verum videtur illa potius capitalis quædam sententia quàm medicina, & extremi iudicij sine spe veniæ denunciatio & in vitia magis quàm in certas personas competere: vt ab ijsdem Apostolis non in certos homines dirigitur, sed generaliter improbis & impuris denunciatur.

Quanquam etiam & certos homines vetus Ecclesia hac sententia notauit: vt Socrat. in historia sua Nestorium refert ab omnib clericis ἀναθεματισθῆναι: quod (inquit) Christiani consueuimus sententiam latam in blasphemum appellare: quum eam tanquam in columna aliqua inscriptam, omnibus notam & manifestam esse volumus. Quòd si ita accipiamus, videtur ita excommunicationi respondere, vt excisioni ἀφανισμὸν: quam destructionem vertere possumus. Quam Heb. etsi non satis explicant, ac ne intelligere quidem quid sit, fatentur, tamen ab illa altera manifestè distinguunt. Atque hæc de Ecclesiastici senatus summa in Ecclesia gubernanda

auto-

autoritate dicta fuit. Vnde quo genere Reipub. Ecclesia gubernetur, satis intelligi potest, quum ἐκ τῆς κυρίας (id est eius quod principatum in Repub. obtinet) descriptione, Reipublicæ forma ferè æstimari soleat. Itaque quum delectorum hominum, & omni pietate atque virtute præstantium consilio atq3 autoritate administrentur, ἀριστοκράτεσθαι vel potius θεοκράτεσθαι appellare licet: quum ne illi quidem nisi ex Dei verbo atque imperio quicquam gerant. Hanc autem optimates autoritatem ita exercent, vt intelligant, se nullum ciuile atque politicum imperium exercere, & se populo Dei præesse, vt nihil hic violentum sit, nihil tyrannicum aut δυναστικὸν, sed populi etiam cõsensum ad autoritatẽ suam (in rebus præsertim grauioribus, vt magistratibus mandandis, aut reo damnãdo) adiungant. Sic enim ab Apostolicis vsque temporib. ad corruptam disciplinam in eorum actis ab Euangelista Luca descriptis, & eorum temporum quæ sequuta sunt historijs, factũ esse legimus, vt omnium potius consẽsu (qui verbo Dei parent, & ex

illius mandato Ecclesiam administrari cupiunt) quàm paucorum autoritate Ecclesia gubernari videatur, & hac in parte democratiá referat. Quæ omnia quum in eand. societatem conuenerint (vt Platoni placet atque Aristo. cæteriſque summis Philosophis) plane diuinam esse necesse est, in qua nimirum omnes ciues se ad Dei viuentis, & senatus ex illius autoritate decernentis voluntatem aggregent.

Neq; verò hæc tantùm singularium Ecclesiarum regendarum forma est, sed eadem in pluribus retinetur quæ aut vicinitate loci aut eiusdem magistratus imperio, aut etiam cõmunis vtilitatis causa coniunctæ, in vnum quasi corpus coalescũt. Huius enim generis sunt omnes de Ecclesia administrãda sermones siue ij quos colloquia, siue quos Synodos appellant: ac Synodi quidẽ omnes siue minores sint (quales in singulis prouincijs in vetere Ecclesia bis in anno habere solebant) siue maiores, quæ vnius aut etiam plurium regnorũ aut nationum & liberarum ciuitatum autoritate celebrãtur. Semper enim Christo sum-

summo imperio reseruato, cuius verbo omnia temperantur, senatus, quæ ex re Ecclesiæ sunt, cõmuni autoritate atque consilio decernit, populo iustis & honestis atque pijs senatus iudicijs summa sua voluntate suffragante.

De quibus quanq̃ multa ad Ecclesiæ nostræ vsum necessaria dici possent, cui nihil magis quàm sermones istos (quales in verbo Dei describuntur, & à reformatis Ecclesijs vsurpari solent) profuturos esse existimo: vt contrà, nihil plus obesse quàm quæ in eorum locum successerunt, Synodi visitationes, & cõuocationes, vt appellantur: (quemadmodũ quidem apud nos in vsu sunt, ac multiplices pene innumeros abusus cõtinent) tamen quũ hæc ferè pendeant ex ijs quæ de singularũ Ecclesiarũ regimine diximus, & plenior harũ rerũ tractatio ex aliquorũ nostræ ætatis qui de Cõcilijs scripserũt, doctissimis scriptis peti possint, ista leuiter prætereũtes, ad Ecclesiasticum senatũ redeamus. Quem quum & à Christo institutũ, & ad Ecclesiam conseruandã in primis necessariũ esse ostendimus, per quẽ nimirũ & ciui-

ùm inter ſe lites finiantur, offenſæ atque ſcandala procurentur, Eccleſia purgata diuini iudicij metu liberetur, ſacramenta caſta, ſancta, incorrupta cõſeruẽtur, omnia deniq; ordine (vt præcipit Apoſtolus) in Eccleſia adminiſtrentur: quæ aut Satanæ fraus aut noſtra negligentia Eccleſias tam ſingulari & prope diuino bono ſpoliauit? A Chriſto quis inſtitutum eſſe negat? Explicet nobis quid ſit illud, Dic Eccleſiæ, Matth. 18. aut quas claues eod. loco ſeruator noſter ſignificet, aut quod πρεσβυτέριον Paulus ad Timotheum, aut quod idem Paulus ſequẽti capite πρεσβυτέρους, & ad Theſſal. προϊσταμένους, & Petrus iterum πρεσβυτέρους, & Apoſtolus ad Heb. ἡγουμένους & Lucas in Actis Epheſinos, Ieroſolymitaõs Presbyteros appellat. Neceſsitatem requirunt? Doceant nos (contrà quæ nos ſeruator monuit) non neceſſe eſſe vt ſcandala & offenſæ oriantur, aut earum quæ oriantur, procurandarum & tollendarum meliorem (ſi poſsint) rationem commonſtrent, quàm quæ eas per ſenatum Eccleſiaſticum auferendi à ſernatore Chriſto deſcribitur: doceant nõ

neceſ-

necesse esse sacramenta integra & inuiolata conseruare: aut si esse fateantur, commodiorem aliquam eius faciendi rationem ostendant, quàm nos Christus ipse docuit.

Nam istam qua vtimur, ad hos vsus commodiorem esse quis vnquam sani iudicij vir affirmarit? In qua nimirum pro collegio presbyterorum, quod communi cum autoritate tum consilio hæc omnia administret: vnus Episcopus, ne ille quidem ipse, sed per Cancellarium suum, atque ille rursus per commissarios & Officiales hæc omnia moderatur atque gubernat: & abolito legitimo consilio, solus omnia pro libidine administrat. Vt enim superius ostendimus Episcopum sibi Diaconorum munus assumpsisse, vt illis sublatis solus Ecclesiæ bona distribuat, vt & presbyterorum, quum illis quoq; pulsis inuigilandi in Ecclesiam curam omnem solus obire vult: ita & hic vniuersum senatum sustulit, vt vnus de rebus omnib. consulatur, constituat atque diiudicet. Ita enim se in Ecclesiam, vt oculus ille de quo Paulus priore ad Corinth. in to-

tum corpus diffudit. Nam quemadmodum ille nullum auditã in corpore esse vult, olfactum nullũ, manus nullas, nihil denique præter oculum: ita Episcopus Diaconos tanq̃ manus de corpore amputauit, Presbyteros tãquam nares ad res subodorandas & intelligẽdas necessarias præcidit, collegium atque senatum vt aures ad res audiendas atque cognoscendas destinatũ abstulit & obstruxit: totum deniq3 corpus perdidit, dum nihil in eo esse vult præter oculũ, & nec Diaconos, neq3 Presbyteros, nec senatum quicquam, sed Episcopum omnia agere, tractare, audire, cognoscere. Verùm quale hoc corpus esse potest, q nihil sit præter oculum? Non enim (vt scitè & eleganter Apost.) totum corpus vnum membrum est, sed multa: & si nihil esset præter oculos, vbi olfactus? vbi auditus? vbi manus? vbi reliqua mẽbra? Et aliter quidem corpus hoc à Deo cõstructum est, & suum cuiusque membri officium constitutum. Neque verò potest Episcopus Diacono, tanquã oculus manui, dicere se illa non indigere, qui ipsos Apost. Diaconorum opera eguisse vide-

videamus. Multo minus Presbyteris, aut vniuerso collegio, de quo agimus.

Ac nec primum quidē Episcopi sibi tātum arrogare ausi sunt, sed sensim ac paulatim, vt in illis regni cupiditas augebatur, & collegarum cura decrescebat. Tandem in hanc tam incredibilem superbiam euaserunt: cuius primus ille gradus extitit, quū Episcopi nomen, q̄ ad omnes collegas pertineret (vt patet ex Act. 20.) vni tantùm cœpit attribui, qui scilicet ab omnib. deligebatur, vt res ad collegiū referret, rogaret sententias, & quasi Consul in senatu esset. Adhuc tamen à reliquis eligebatur, idque non in perpetuū, sed ad tempus. Et quanq̄ nominis honore ornabatur, nulla tamen quod ad reliqua attinebat, priuata autoritate fungebatur, nec vllis in sententijs ferendis singulare aliquod præter cæteros ius sibi assumebat. In ea verò omnium cōmuni inuigilandi speculandiq; cura permansit, & de sua etiā atque propria erat singulari cura solicitus: nec ad ocium atq; desidiam, communis curæ causam opponebat, vt priuatam relinqueret; sed certā Ecclesiam

tanquam ſuam in muro ſtationem retinebat, vt adhuc omnia præter nominis arrogationē tolerabilia extiterint. Poſtea verò quum Epiſcoporum & miniſtrorum ignauia pauci eſſent qui eiuſmodi negotijs tractādis eſſent idonei, multiq́ue imperiti & indocti, alij otioſi atque deſides, neque de Eccleſia admodum ſoliciti: in vnum fere omnis hæc de Eccleſiæ diſciplina cura atque autoritas collata eſt. Qua occaſione ambitio vſa eſt, & tēpora ſibi apta eſſe videns, velificabatur honori ſuo. Tum ex temporali perpetuum munus factū eſt: omniaq́; non ex collegarum ſententijs, ſed ſua autoritate gubernabat. Poſtea verò quum inualeſcentib. tenebris (quæ omnem Eccleſiam occupabant) non in vna vrbe, ſed etiam in tota aliqua prouincia pauci miniſtri idonei reperirentur, creuit hæc tyrannis, & omnes vnius prouinciæ Eccleſias ſibi ſubiecit. Vnde tandem per ſpeciem magni oneris, & communis multarum Eccleſiarū præfecturæ nomen, certæ Eccleſiæ cura excuſſa eſt, nec de miniſterio & vero Epiſcopatu amplius quàm quod honori ſa

tis

tis esset, vt vbi quandoque vellent, cum populo agendi potestatem haberent, reseruatum. Ita omnem collegij atque adeo in ipsum collegium potestatem vsurpabant, ipsos pro sua voluntate eligendo, abdicando, regẽdo, gubernando: vt senatus tandem aboleretur, & singularum prouinciarũ Ecclesię iam suos quasi reges ac Dominos haberent. Verum ambitio (quæ tanquam igni atque flamma, summũ semper petit, nec vllis finibus continetur) in prouincijs minoribus non constitit, sed ad maiores ascendit. Vnde Metropolitani, qui primũ illud q̃ Dei pòst in Ecclesia inductũ erat, ἀρχὴ & imperij nomẽ vsurparunt, & Archiepiscopi dicti sunt. A maioribus deinde prouincijs, ad tota regna: vnde primates. A regnis, ad quadrumviratum vniuersæ Ecclesiæ: vnde dicti sunt Patriarchæ, donec tandem Antichristus in Dei solium conscenderet, & in media Ecclesia se (vt Paulus prædixerat) pro Deo venditaret.

Atque hæc Ecclesiasticarum functionum confusionis vera historia est, hæc initia atque incunabula, hi progressus

& incrementa: quibus si ita perturbata esse omnia videmus, vt de totius corporis statu verendū sit, tandem aliquando moneamus Episcopos, nō minus sibi q̄ Apostolis Diaconorum opera & labore opus esse: destrui corpus, si nullum in eo membrū sit præter oculū, & Ecclesiam, in qua nemo aliquod munere fungatur, præter Episcopū. Deū varietatē membrorū incredibili vsu constituisse, quam conseruari necesse sit, siquidem corpus valēs & integrum habere volumus, infinita ista Episcoporū dominandi cupiditas & se omnibus rebus immiscendi corrigatur: collegium ptesbyterorū & senatus tanti vsus ad omnes Ecclesiæ rationes constituatur, in quo illi quidem pro sui muneris dignitate primo loco sint, modò secundum doctoribus, tertiū presbyteris relinquant. Nam solos omnia sibi assumere, Ecclesiā amplius pati nō posse: sentire quàm hoc omnib. suis reb. rationibusq; incōmodum sit: quum non aliunde sacramentorū turpissima profanatio, grauissimi Ecclesiæ iudicij excōmunicationis multiplices & intolerabiles planè abusus, alia mala penè infini-

infinita quàm ex hac superba & Eccle-
siæ perniciosę πολυπραγμοσύνη manarit.
Atq; hæc de Ecclesiasticis muneribus, in
quib. cõstituendis, quoniã vniuersa fere
Ecclesiasticæ disciplinę ratio continea-
tur, longiores fuimus: quod tamen reli-
quæ partis breuitate quę de sanctorũ &
fideliũ officio supereſt, cõpensabimus.

Sanctorum nomine reliqua Ecclesia,
quæ nullam in ea publicam procuratio
nem obeunt aut exercent, continetur.
Horum autem omniũ (vt in omni poli-
tia) vnum fere illud officiũ est, vt ab ijs
quos Deus præfecerit, facilè & libenter
se regi gubernariq; patiãtur. Qua de re
breuis quidem, sed insignis est Apostoli
ad Heb. adhortatio, qua cohortatione
per illas omnes Ecclesias ad obendien-
tiam excitat. vt de graui animarũ cura
quam susceperint, rationem cũ gaudio
aliquando reddant, & προθύμως atq; ala-
criter omnes illos labores, molestias,
dolores, solicitudines curas, quæ cũ mu
neribus suis coniunctæ sunt, suscipiant, &
Ecclesiæ causa subeãt atq; oppetiantur.

Neque verò hic magistratus, etsi in
reliqua Ecclesia politicæ autoritatis
ratio-

ratione emineant, se ab hoc parendi & Ecclesiasticis magistratibus obediendi præcepto & mandato eximendos esse arbitrentur. Quum enim non minus de magistratus quàm de aliorum salute illos solicitos esse oporteat, & illius etiam animã (vt cæterorũ) sua cura contineant, illis etiam nõ minus quàm reliquis parendum est, & Ecclesiasticorũ magistratuum iustæ autoritati obtemperandum. Atque quum illi Iesu Christi non solùm autoritate præsint, sed ipsam quodammodo personam sustineant, quum nullo suo imperio, sed illius solo verbo & mandato omnia administrent: annon æquum est, illis vel summos magistratus & reges ipsos obtemperare? Huic enim omnes orbis Principes & Monarchæ fasces suos submittere & parere decet, quem Deus regni sui hæredem, & cœli atque terræ Dominũ constituit. Atq; multa quidem ex antiquitate piorum Principum exempla citare licet: qui Ecclesiasticæ politiæ à Domino institutæ obtemperarint, & quanquam (quod ad hanc vitam attinet) regerent & dominarentur, tamen disci-

disciplinam Domini non sunt aspernati. Ex vetustissima autem memoria & sacris Hebræorum annalibus Ozam regem nominare licet, qui quanquam superbius & audaciusin sacerdotij munus inuasisset, tamen postquam lepra à Domino percussus esset, & propterea à sacerdote ex ea lege quam Deus præscripserat, à communi societate separaretur, paruit sacerdoti ex verbo Dei præcipienti: & imperio filio suo permisso, reliquam vitam in illa solitudine & orbitate transegit.

In Christianis verò imperatoribus cum multa præclara exempla sunt, quæ hodie Principes sibi proponere & imitari debeant, tum illa singularis cuiusdam pietatis sunt, quæ ab Eusebio de Philippo & Theodosio memorantur. Quorum alter quum ab Episcopo abstinere à sacris iuberetur, nisi prius nomen suum inter pœnitentes profiteretur, quòd se criminibus quibusdam obstrinxerat, & fidem suam atque religionem (quòd suspectus esset) contestaretur, Episcopo (vel potius Dei verbo) libenter obtemperauit: & cum de crimi-

minibus quæ commiserat, dolorem suum, tũ de religione ndẽ palam & apertè professus est. Alter verò ab Ambrosio in cuius Ecclesia sacrorũ particeps esse volebat, ab Ecclesiæ cõmunione separatus, tam libenter paruit, vt corã Deo & Angelis suis atque vniuersa Ecclesia in terram & ipsum tẽpli pauimentũ prostratus, illam Dauidis (vt mansuetudinem eius in illa Nathani reprehensione imitari pium Principem voluisse credibile est) recitans, Adhæsit pauimento anima mea: facti sui & Thessalonicæ cædis illius mandato patratæ, incredibilem quendã dolorem professus est.

Omnes ergo fideles atq; adeo principes ipsi atq; magistratus Dei verbo & Ecclesiasticæ disciplinæ parere debent. Ac tunc demũ Ecclesia floret atq; viget, quũ & ij qui præsunt, ex Dei verbo præcipiunt: & qui subijciũtur, libenter obtemperant. Sed magistratuũ etiã aliquid hic proprium & peculiare est, vt autoritate sua Ecclesiæ statũ constituant, & ex Dei voluntate constitutum cõseruent atq; tueantur. Non vt illi res Ecclesiasticas pro suo imperio & arbi-

tratu

ratu moderentur: hoc. n. Christi solius & quib. ille curā istam demādauit. Sed quū Apostolus eos à Deo constitutos esse doceat, vt vitā hanc pie & pacate transigamus, illi prouidere debēt, vt Dei cultus (quemadmodū ipse præcepit) cōstituatur, administretur per quos oporteat, & in ea puritate castè & sincerè conseruetur. In quo tam præclaro officio atque studio multos ex sacra historia pios Principes possunt deligere, quos imitentur, Dauidem, Salomonē, Ezechiam, Iosiā, Zerubabelem. Quorū insignis labor & opera extitit partim in religionis statu ex Dei verbo & Prophetarum voce cōstituendo, partim in collocapso restituendo atq; instaurando. Sub religione autē non tantùm doctrinam, quā de Deo colendo, & salutē per filium suū adipiscendo profitemur, sed & Ecclesiasticorum munerū constituendorum, Ecclesiæ regendę & gubernandæ modum, offensarum corrigendarum & auferendarum disciplinā comprehēsio. Quæ omnia illi clarissimi Heroes ad magistratus officiū atq; munus pertinere recte & ex dei verbo iudicabāt.

Atq;

Atque sic nobis iusta & legitima Ecclesiæ administrandæ ratio atque disciplina descripta sit. Quam Christianæ Ecclesiæ, tanquã domus Dei (vt à Paulo appellatur) οἰκονομίαν qui attentius & accuratius considerauerit, animaduertet profectò incredibilem quandam illam in omnibus eius partibus & diuinam sapientiam, ac tanto quidem illa Salomonis in sacra Regum historia magis admirabilem, quanto sapientior Salomone fuerit qui omnẽ huius domus ordinem rationemque descripsit. Siue enim ministrorum ordines, siue accubitus, siue varium pro cuiusque dignitate ornatum & habitũ consideremus, quod ad Ecclesiæ non modò salutem conseruandam, sed etiam dignitatẽ illustrandam ornandamque aut prudenter excogitari, aut cum iudicio atque ratione disponi collocarique potuerit: quid in hac οἰκονομία requiratur? Nam quod ad ministrorum ordines attinet, quod munus necessarium omissum est? aut quæ procuratio superuacanea redundat? aut quid in tota hac ratione aptius aut elegantius dici potest?

Tem-

Temporarijs ceſſantib. muneribus. & extra ordinem ad huius regni initia cõſtituenda adhibitis, ordinaria ac perpetua duobus generibus (quorum primum ſimplex eſt, alterum mixtum atque compoſitum) diſtinguũtur. Quorũ prius in duobus Epiſcoporum generibus, doctoribus, qui religiones & ceremonias interpretantur, & paſtoribus conſtat: alterum in Diaconorum totidem, Diaconis & Presbyteris, ſynecdochicos generalioribus nominib. appellatis: quorum hi de omniũ vita atque moribus, illi de viduarum & ægrotorum, peregrinorum & omnium omnino pauperum neceſsitatibus ſubleuandis ſunt ſoliciti: vt vniuerſis cùm ad fidei puritatem, tum ad vitæ integritatem abunde conſulatur, & ſingulorũ difficultates atque anguſtiæ non negligantur. Eccleſiaſticus verò ſenatus ex tribus maioribus ordinibus compoſitus, ſummam huius Chriſtianæ ſocietatis moderatur, necui muneri magiſtratus ſuus deſit, qua quiſque fide in eo gerendo verſetur, quibus rationibus offenſæ procurandæ, & quæ quibus mor-

bis remedia adhibenda sint, communi cura, consilio, autoritate prouidet. Accubitus verò quàm honesti sunt? dum omnes senatum pro eius autoritate reuereantur, & singuli suum locum agnoscant, nec quisquam se supra dignitatē suam efferat: sed Diaconi inferiore loco considentes, cedant Episcopis, qui tanquam domus Dei οἰκονόμοι in summa mensa accumbentes, reliquas procurationes sibi assistere non inuident. Atq; œconomi quidem ita se pares esse sciant, vt tamen pastores primo loco sint, Doctores autem secūdo subsequantur. Quibus quum Presbyteri proximi sunt, infimo loco Diaconi, in eadem tamen mensa cum cæteris accumbūt, qui procurationem aliquam in hac domo administrant.

Singulorum autem habitu & ornatu quid aptius, quid ornatius, quid omni dignitate plenius esse potest? Amictus vnus omnium communis est religionis sanctæ quædam cognitio atque professio, & vitæ morumque integritas: quibus tanquam albis illis vestibus ornati, quas Iohan. in Apocal. meminit, purpuram

puram auro intextam non desiderant. Sua tamen omnique propria muneris sui insignia sunt. Nam & Episcopi omnes solida quadam sacræ doctrinæ cognitione, vt Regij œconomi baculis insigniuntur. Et pastoribus quidem præterea flexanima illa oratio, & consolandi terrendique vi atque autoritate, tanquam clauis illa conceditur, quam Eliacim Ezechiæ summus œconomus apud Esaiam super humerum gestans describitur. Reliqui verò Diaconi

studio & simplicitate, inter se inuicem distinguuntur.

Quæ tam admirabilis & diuina planè sapientia constituta domus Dei regendę ratio, quum infinitis partibus illam Solomonis excellat, concedat misericors Deus, vt tãto maiores sui amores in sereniſsima Regina nostra & honoratiſsimis aulæ suæ principib. accẽdat, quàm illa Salomonis in Australi Regina & aulicis suis excitauit. Tunc demũ enim omnes verè beati erimus, qui in Ecclesia, tanquam in Christi Salomonis nostris aula degimus, quum coram eo semper cõsistere, & illam pa-

tris ſapientiam ſemper audire poteri-
mus. Tum demum regnare Salomonẽ,
& quæ Prophetæ de hoc regno prædixe
runt, vera eſſe omnia agnoſcamus, quũ
hanc Eccleſiæ deſcriptionem, hunc or-
dinem atque ornatum, hos miniſtrorũ
ordines, accubitus, apparatus intuebi-
mur. Quanquam enim vt aula eſſe dici-
tur vbi rex ſit, ita Eccleſiam eſſe fatea-
mur, vbi Chriſto adſit, illudq; maximũ
ſit atque præcipuum, Salomonis vocem
atque ſapientiam audire poſſe: tamen
vix ac ne vix quidẽ fieri poteſt, vt diu-
tius commorari conſtituerit, quin om-
nem domus ſuæ rationem diuina illa
ſapientia moderetur atque gubernet.
In agris quidem, vbi ad breue aliquod
tempus peregrinatur, aliquanto poſt
diſceſſurus, fieri poteſt vt vniuerſa regia
forma atque moderatio non appareat.
Sed fieri omnino non poteſt, vt vbi ha-
bitare decreuerit, & perpetuam regni
ſui ſedem delegerit, omnia pro ſua ſa-
piẽtia, pro dignitate imperij, pro æter-
nitate regni ſui non deſcribat. Quo ma-
gis metuo ne in Angliam noſtram tan-
quam in ſuburbanum aliquod ad breue

&

& exiguum peregrinandi tempus conceſſerit: niſi ſublata ita (vt ita dicam) perturbatiõe, quæ peregrinationes fere conſequitur, certa atque ſtabilis Eccleſiæ regendæ ratio ſtatuatur. Neque enim plenè mihi de Eccleſiæ noſtrę ſtatu gaudere poſſe videor, donec vtrumque quod Paulus in Coloſſenſi Eccleſia viderat, in religione nimirum ſolidam in Chriſto fidem, in diſciplina ordinem atque decoram quandam Eccleſiæ adminiſtrandæ rationẽ videre liceat. His enim duabus columnis ſtabilis atque perpetua Eccleſiæ conditio nititur.

Quare omnes homines, quibus Chriſti regni inter nos tuendi conſeruandique cura eſt, qui de cultu Dei poſteris noſtris propagando ſunt ſoliciti, omnibus precibus oro atque obteſtor, vt pro ſua facultate ſinguli legitimam Eccleſiæ diſciplinam quam deſcripſi, molian tur: & cùm vniuerſi voluntate, ſtudio, precibus, tum verò miniſtri ſermone, magiſtratus autem autoritate ſua promoueant. Ego verò me vel ſyngrapha Deo & Eccleſiæ obſtringo, nullum vnquam meum ſtudium, laborem, diligentiam

tiam defuturam, quæ reformationem hanc (cuius diuturna expectatione languescimus) iuuare vllo modo posſit. Quam ſi mihi aliquando videre contigerit, exiſtimabo equidem eam vitæ meæ partem optimam atque iucundiſſimã eſſe, in quam tantum Eccleſiæ bonum inciderit. Sin minus oculis meis licebit intueri, lætabor tamen formam eius animo prouidiſſe: & Dauidis atque Ezechielis exemplo (quorum hac in re non diſsimilis conditio fuerit) deſiderij mei curam atque ſolicitudinem conſolabor.

FINIS.

ERRATA QVAE LECTOREM REMORARI POSSENT, sic corrigantur.

Fol. 4. pag a. ver. tendunt, lege, quam. b. v. stud. reliquas. fol. 16. a. v. tum. miscuit. f. 21. a. dom. cogas. 25. a. tãq. cãdidatus. 26 b. tuis. Patr. 27. a. dol. ac dolum. tot. prensare καὶ δεξ. b. ord. (vt trito. 30. a. eas, ne neglecti. 31. a. Resp. omniũ quæ. 34. a. Quan. electionibus. 36. b. len. centuriatis. 37. a. fug. ab illis. 39. b. sic. ἐμφατικῶς. tion iudicia. 40. b. hic, oligarchicum. 42. a. di. quæ ad. 54. a. disp. multum. 141 a. num, quod diu post in Ecclesiam ind. 117. b. san. καταρυθῶσι. 124 a. lus. προϊστάμενον. 132. b. dam, ἀζύμοις. & seq. versu κακίαν. 70. a. hanc, qua. 73. b. gis, sui. 18. a. prof. excitari. 96. b. piet. laudem. 99. a. cap. & alibi. lege capam. 118. a quã, redũdãtia.